
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
·LIBRARIES·
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES SCIENTIA VERITAS
1817

De

Aristophanis comici

vocabulorum formatione et compositione

scripsit

Dr. Vilelmus Uckermann, Wilhelm August

Marpurgi.
Sumptibus N. G. Elwerti.
1879.

Patri carissimo

Carolo Eckhardo Uckermann

procuratori publico et notario Marpurgensi

pio gratoque animo

d. d. d.

Auctor.

Hoc seculo cum ii, qui ad antiquitatis studia se contulerunt, grammaticas inprimis res summa diligentia tractaverint et pervestigaverint, neque ullus fere adhuc extet huius disciplinae locus, de quo non satis multa scripta sint, alias aliquas huius philologiae partes, lexicographiam et vocabulorum formandorum rationem, magis quam par est posthabitas esse consentiunt viri docti. Nam etsi plerorumque vocabulorum, quae literis tradita ad nos pervenerunt, radices et primae significationes inventae sunt et in omnibus lexicis leguntur, etsi de universa Graecorum et formandi et componendi ratione multa iam explorata sunt, tamen non satis curae in tractandis singulorum autorum sermonibus collocatum est: quorum quae fuerit verborum copia, quibusnam rebus aut ab iis qui antecedunt aut iis qui sequuntur differant, quas habeant sermonis quae vocantur proprietates in vocabulorum aut formatione aut compositione aut significatione, haec sane neglecta ab huius aetatis viris doctis ita sunt, ut ne in lexicis specialibus quidem, ut hoc verbo uti liceat, in disceptationem vocata sint; (quamquam, ut G. Dindorfii, qui lexicon Aeschyleum edidit, verbis utar, talia peculiaria melius coniunctim proposita, quam per lexica dispersa percipi fatendum est[1]).

Atque quum de Homeri, Aeschyli, Sophoclis aliorumque sermone non paucae scriptae sint commentationes, quibus aliquae saltem res, quae ad illas, quas diximus, quaestiones pertineant,

bene atque accurate explicentur, Aristophanem, — cuius lexicon speciale, quod vocatur, adhuc quidem magnopere desideramus, — eiusque rationem ab hac, quam significavimus, parte nemo adhuc per se solam spectavit, sed omnes breviter tantum attigerunt. Qua de causa multa vocabula ab hoc poëta in usum vocata, quae explicationis summopere indigeant, in medio relicta vel silentio praetermissa esse arbitrati Aristophanis formationem et compositionem seiunctam a ceteris in hoc libello tractare et ea verba, quae ille nova literis intulit, certas in classes ad artis praecepta dispositas redigere animum induximus.

Aristophanis autem sermo eo magis, in quem accuratius inquireremus, dignus videbatur esse, quod hic poëta terminum quasi inter duas praecipuas dialecti atticae aetates — veterem et recentem — facere videtur (nam hic sermonem atticum purissime excoluit et ad tantam deduxit verborum copiam, quantam veteres scriptores aut poëtae non habebant, posteriores ab illo receptam aliquamdiu reservaverunt) — et quod hic, ut plerique poëtae comici, singulares quasdam ac proprias virtutes habet, quae non possint non tenere legentium animos neque excitare ad vocabula inquirenda et rationem formandi cognoscendam.

Quaerentibus autem nobis de ratione, quam hic poëta in vocabulis formandis et componendis secutus sit, primum videndum erit, quaenam ex iis vocabulis, quae in fabulis ab illo reliquis inveniuntur, a poëta ipso formata esse putanda ideoque hoc loco tractanda sint.

Ac primum quidem, quoniam ea tantum composita, quae Aristophanes primus in usum vocat, ipse nova formavisse potest, secernenda esse apparet ex hac quaestione omnia ea vocabula, quae praeter hunc poëtam aliquis autor Graecus ante illius aetatem scribens usurpavit: quippe quae nec solus nec primus ille formaverit, neque ex iis illius proprietas cognoscatur. Segregamus igitur omnia vocabula Homerica et Hesiodea, qualia *τανυσίπτερος*, *καρχαρόδους*, *σκαφίς*, Pindarica, qu. *τηλαυγής*, *μελάμφυλλος*, Herodotea, qualia *ὕσθριξ*, *ἀγρυπνία*,

ea quoque vocabula, quae praeter hunc poëtam tragici poëtae usurpaverunt, velut ἱπποβάμων, χρυσαυγής, κυναυγής, μηλοσφαγέω, multa denique ab aliis scriptoribus illo superioribus, quos enumerare longum est, primum formata aut composita, quae iamdiu in usum communem transierant. Accedunt segreganda ea vocabula, quae praeter Aristophanem nonnulli scriptores aetate ei fere aequales, velut Antipho, Hippocrates, Thucydides in usum vocarunt, qualia δενδροτομέω, ἀντιτιμωρέομαι. Deinde ea quoque vocabula Aristophanea esse negavimus, quae ut ab hoc Aristophane ita ab aliis poëtis comicis adhibita videmus esse. Namque ex iis reliquiis fabularum Cratini, Pherecratis, Eupolidis, Platonis, quae Athenaei, Pollucis, Hesychii, Harpocrationis, Suidae, aliorum opera et diligentia nobis conservantur, iure colligitur, illis magnam saepe et aliis in rebus et in componendis derivandisque vocabulis similitudinem cum Aristophane intercedere, ita ut, quae vocabula praeter hunc unus ex illis comicis Aristophani aut aequalibus aut paullo superioribus adhibuit, ea non Aristophanea esse, sed tum temporis in ore populi versata ab omnibus saepius usurpari existimandum sit. Neque magis Aristophanes finxit ea vocabula, quibus posteriores comici praeter ipsum usi sunt: quae ipsa quoque uterque poëta ex sermone communi et volgari desumpsit; nihilominus, quia Aristophanes primus in literas induxit, talia infra ascribemus et explicabimus. Denique vero secernenda esse ex hac quaestione existimavimus ea vocabula derivata vel composita Aristophanea, quae apud nonnullos classici, qui vocatur, Atticismi auctores saepius leguntur: neque enim putare licet, iam tum temporis adeo divulgatum fuisse Aristophanis comici sermonem, ut tales scriptores, quales Xenopho, Plato, Isocrates, Lysias, Demosthenes, Aristoteles eum nisi certa causa intercedente imitarentur. Quam ob rem seiunximus exempla θαλλοφόρος, ἀντωμοσία, ἐξωμοσία, προσκεφάλαιον, καταδωροδοκέω, quae et hunc et illos ex sermone populi volgari sumpsisse puto. Nam quod talia apud priorem aliquem Aristophane scriptorem non inveniuntur, casu factum esse apparet.

At contra ea vocabula Graeca vel composita vel derivata, quae ut in Aristophanis fabulis ita in posterioris vel postremae graecitatis, quae vocatur, scriptorum libris inveniuntur, ab ipso Aristophane formata, ab illis imitando expressa esse apparet: quo fit ut haec omnia suo loco tractanda sint non minus quam ea, quae apud solum Aristophanem leguntur (ἅπαξ λεγόμενα).

Quoniam, quae vocabula ex dissertatione nostra seiungenda sint, declaravimus, sequitur, ut de alio aliquo genere verborum dicamus, quae ipsa quoque ab Aristophane non sunt formata. Nam qua lingua Aristophanes utitur, ea omnium maxime accedit ad sermonem atticum popularem, ita ut mirandum non sit, multa apud illum legi vocabula, quae apud superiores scriptores non inveniuntur, non quo ea ignoraverint, sed quia talia vocabula, qualia ad domorum, culinae, conclavium instrumenta vel ad alias vitae communis cotidianaeque res rationesque pertineant, nimis trita sermone volgari et ideo orationi ipsorum — (aut tragicae aut historicae aut lyricae) — minime apta erant: contra a comico poëta huiusmodi res optime in scenam duci poterant, velut κριβανίτης, κύκηθρον aliaque multa, quae apud priores non inveneris. Similiter iudicandum est de iis vocabulis, quibus res ad iudicia et munera publica pertinentes significantur, quorum exempla in Vesparum potissimum fabula multa leguntur. Haec omnia Aristophanes etsi primus omnium in usum vocavit, tamen non ipse formavit.

Denique eas voces, quibus obscoena notio subest, cave ab Aristophane fictas esse putes, etsi apud hunc primum neque raro etiam solum legantur: tales enim voces, quales κασαλβάς, χεζητιάω, λαικαστής, omnium maxime apud plebem humilem in usu erant nec miramur, quod superiores poëtae eas non usurparunt: sed Aristophanis et comicorum opera factum est, ut literis inductae et nobis conservatae sint.

Haec sententia, quam de vocabulorum historia proposuimus, in universum quidem recta ac vera videtur esse: attamen cum de hac tota quaestione doctrina sit subtilior, attendere et aucupari verba oportebit. Nam nonne cogitari potest, pleraque

vocabula, quae apud solum Aristophanem leguntur, formata et usurpata esse iam ab auctoribus aetate superioribus, quorum libri deperditi sunt? Haec tota ratio ac via, in qua versamur, quam incerta ac lubrica sit, ut intellegas, duos afferimus locos ex Aristophanis fabulis petitos: quos qui accuratius consideraverint, facile videbunt, quanta cautio nobis sit adhibenda, si distinguimus composita Aristophanea ab iis, quae ille non formavit. In Daetalensium enim fr. Dind. 1.*) leguntur verba haec: *ἦ μὴν ἴσως σὺ καταπλιγήσει τῷ χρόνῳ· ΓΕΡΩΝ: Τὸ καταπλιγήσει τοῦτο παρὰ τῶν ῥητόρων.* Formatio verbi *καταπλιγήσει* nihil miri habet, sed prorsus secundum leges grammaticae Graecae facta est; verbum autem ipsum *καταπλίττεσθαι* esse *ἅπαξ λεγόμενον*, lexica recte adnotant; quare nihil obstaret, quominus illud verbum ab Aristophane novum formatum et ab eo primo sermoni inductum esse putaremus, nisi in verbis ipsis aliud aliquid inesset. Nam cum ille dicat: »Illud verbum (*τὸ καταπλιγήσει*) de rhetoribus desumsisti«, quomodocunque verba *παρὰ τῶν ῥητόρων* explicabis, semper ea verborum sententia erit, ut verbum illud, de quo quaerimus, iam antea in usu fuisse concludendum sit.

Contrarium quoddam observari potest in *ἀεροβατεῖν* verbo Aristophaneo; quod si apud Platonem quoque inveniri ex lexicis cognoveris, mirabere fortasse, cur Aristophani tribuerimus. Sed immerito. Namque ubi inspexeris Platonis verba ipsa (apol. Socr. p. 19 C), quae sunt: *τοιαῦτα ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον φάσκοντά τε καὶ ἀεροβατεῖν κτλ*, non dubitabis, quin delegaverit illis verbis ad Nubium vers. 1503, ubi haec: *ΣΩΚΡ: ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον*, et imitando expresserit vocem illam ab Aristophane de Socratis doctrina comice fictam.

*) In enumerandis versibus et fabularum et fragmentorum Dindorfianum (ed. Oxon.) ordinem sumus secuti; fabulam Acharnensium notavimus litera **A**, Equitum **E**, Nubium **N**, Vesparum **V**, Pacis **P**, Avium **Av**, Lysistratae **L**, Thesmophoriazusarum **Th**, Ranarum **R**, Eccles. **Ec**, Pluti **Pl**, fragmenta **fr.**

Quamobrem noli putare, omnia, quae infra ascripsimus, vocabula re vera ab hoc poëta, etiamsi solus aut primus ea in usum vocasse videatur, inventa esse! Sed ultra dubitationem progredi non licebit: nam cum plerique superiorum scriptorum libri ac literae aut mutilati ad nos pervenerint aut omnino deperditi sint, adhuc quidem omnia, quae supra distinximus, vocabula Aristophani ascribere deque iis iudicium facere debemus. Illud vero maxime dolendum est, quod reliquorum poëtarum comoediis deperditis, quid discriminis inter hunc poëtam et illos intercedat, accuratius exquirere nequimus.

Denique illud quoque animadvertendum est, non ea solum vocabula, quae Ar. suomet ingenio nova finxit, sed omnia, quaecunque primus literis induxit vel videtur induxisse, nostram quaestionem, quam supra definivimus, prope attingere.

Itaque quum, quaenam vocabula Aristophanea putanda et hoc loco tractanda sint, statuerimus, iam de explicatione et significatione pauca in universum dicenda sunt. Nam fortasse magnum usum ad enucleandas verborum notiones ex scholiis nos percepisse putabis: immo, quo maiorem operam in legendis conferendisque scholiis Aristophaneis consumebamus, eo magis, non multa in iis nova contineri, intellegebamus; neque enim raro fit, ut, quae multis ibi verbis de vocabulorum et explicatione et formatione explanantur, ea, si accurate animum attenderis, in ipsis poëtae verbis inesse tibi persuadeas: ut recte egisse nobis videamur, cum in explicanda vocabulorum significatione nostrum plerumque iudicium secuti verborum notiones ex sententia ac vi, quae toti loco inest, deducendas esse existimaremus scholiastae verbis rarius additis.

Sed iam rem ipsam aggrediamur, quam ita distribuimus, ut priore libro agamus de formatione vocabulorum.

Liber prior

qui est

de formatione Aristophanea.

Quoniam inter eam viam ac rationem, quam Aristophanes in derivandis vocabulis et formandis novis adhibuit, et aliorum scriptorum Graecorum rationes neque multa neque magna intercedunt discrimina, pauca de formatione erunt in universum dicenda. Illud autem, quod adnotetur et confirmetur, dignum videtur esse, quod, quamquam ipsa formandi ratione non differt ab aliis, tamen copia et numero Aristophanes omnes longe superat: quem si cum iis, qui ante cum scribebant, comparamus, multo maiorem ab eo copiam novorum vocabulorum, quam ab ullo alio auctore aut poëta sermoni Graeco illatam esse intellegimus neque pauca eius generis, quae ille ad iocum aliquem exprimendum vel ad sententiam ludicram efficiendam formavit. Iocum autem et lusum plurimum valere et late patere apud poëtas comicos quis non videt; cuius compluria genera in huius Aristophanis comoediis observari posse nuper demonstravit C. Holzinger*) qui multa eiusmodi exempla collegit. In hoc libello quamquam multa bene exposita sunt, tamen singulis in rebus illius viri iudicium ac sententiae non prorsus verae esse mihi quidem videntur: nam primum genera**) »risus *ἐκ τῶν πραγμάτων* exorientis«, quem vocavit ille, omnino seiungenda esse puto, si quis in poëtae sermonem ac verba inquirere animum induxit, deinde id lusus genus, quod scholiastae »*παρ' ὑπόνοιαν****) adhiberi« dicunt, latius mihi quidem apud hunc poëtam

---

*) De verborum lusu ap. Aristophanem. Vindob. 1876.

**) Cfr. l. l. p. 4.

***) Cfr. l. l. p. 9 pp.

videtur patere, quam quis secundum Holzingeri explicationem suspicetur; multa enim ab Aristophane iocose dicta, quae hic vir doctus ut cxplanaret, longis ambagibus usus est, per illam figuram habent explicationem facillimam. Nam si cum illo (p. 9.) *παρ' ὑπόνοιαν* figurae rationem explicamus: »... quotienscunque velut ex improviso et praeter expectationem alterum alterius vocabuli sedem occupat ...; quo fit sententiarum plerumque repentina commutatio...«, non tantum ea exempla, quae scholiasta cumque eo Holzinger enumeravit, huic generi attribuenda sunt, verum etiam alia, velut notissimum illud Aristophancum:

Τὰ Ταντάλου τάλαντα ταντᾰλίζεται

ubi apparet, *ταντᾰλίζεται* verbum non congruere cum sententia, sed expectari *ταλαντίζεται*, cui recte inesset notio ponderandi: quod verbum ideo commutavit poëta, ut et metro satisfieret et paronomasia quaedam, quae vocatur, efficeretur ad vocem *Ταντάλου*: similia complura observasse nobis videmur, quae suo loco exponentur. Sed ut ad rem summam redeamus, mirabere fortasse, complura vocabûla a nobis in hanc priorem classem relata esse, quae primo obtutu non derivata, sed composita esse tibi videntur. Quae si accuratius inspexeris, quam recte distinxerimus, mox intelleges: nam, ut exemplum addamus, etsi *μουσοποιέω* ex *μοῦσα* et *ποιέω* compositum videtur esse, tamen Aristophanes, qui primus hoc verbum usurpavit, non ipse composuit, sed de *μουσοποιός* nomine, quod a scriptoribus ipso superioribus usurpatum fuisse testimonia*) sunt, deduxit. Talia exempla decomposita, quae vocantur, multa infra ascripsimus: ubi res in dubio est, ea, quae ad vocabulorum historiam attinent, adiecimus, ut liceret legentibus de singularum vocum memoria suum sequi iudicium.

Nos autem in hac priore dissertationis parte secuti sumus grammaticorum distributionem usu receptam, qua de singulis orationis partibus, nominibus, pronominibus, adverbiis, verbis deinceps agi et exempla enumerari solent.

---

*) Herod, 2, 155; Eurip. compluribus locis. —

A. Substantiva,

quae diversissimis modis formantur et derivantur ab hoc poëta: alia ita, ut quemvis auctorem vel poëtam, si formasset, eodem modo ea formaturum fuisse putandum sit, alia secundum proprias et peculiares leges, ut poëtam comicum haud possis non agnoscere. Enumerantibus igitur nobis et distribuentibus substantiva primae classi ascribenda videntur esse omnia ea, quae a verbis originem ducunt; [valde autem cavendum est, ne ea quoque substantiva huic classi ascribamus, de quibus ille verba derivavit: quamquam haud raro difficile est iudicatu, num verbum an nomen prius fuerit in lingua, velut in vocibus Aristophaneis *βάδος* (*βαδίζω*), *κασαλβάς* (*κασαλβάζω*), *ἐπίμαρτυς* (-- *ύρομαι*) aliisque: nam vocabula *βάδος* et *βαδίζω* ubi primum videris, hoc ab illo derivatum esse dices: sin vero *βάδος* nomen nunquam nisi uno loco Aristophaneo, *βαδίζω* autem saepissime inveniri memineris, fortasse dubitabis!] ceterum illud quoque observavimus, casu quodam factum esse, ut complura nomina, quae de verbis manare apparet, non haberent verbum in lingua, de quo derivarentur, ita ut hoc mente subaudiendum esset.

A. Substantiva, quae dicuntur deverbalia, quorum

I. Primo generi adnumero ea nomina masculini generis, quae in —*τής* exeunt; cui terminationi respondere solet femininum in — *τρια* cadens; his nominibus ut apud omnes scriptores Graecos sic apud hunc poëtam ea persona significatur, quae id agit vel agere solet, quod verbo, unde nomen manat, continetur. Quod ad accentum attinet, huius classis nomina masculina semper fere oxytona sunt: in uno nomine Aristophaneo *κεκράκτης* syllaba paenultina accentum acutum habet.

a. masculina.

λαικαστής, A 79*), [et *λαικάστρια* A 528], derivata de *λαικάζω* verbo, ab Aristophane primo usurpata, non formata; quae etsi

*) Si substantivum aliquod compluribus locis invenitur, unum addisse plerumque satis habemus.

ab autoribus illo superioribus propter obscoenitatem in usum non vocantur, tamen tum temporis in ore populi fuisse existimandum est.

κεκράκτης E 137, clamax: quod nomen de forma reduplicata verbi *κράζω* comice deductum ita optime explicatur, ut auctam illam stirpem ad amplificandam vim clamoris adhibitam esse dicamus; post hunc Aristoph. Lucianus hoc nomen imitando, ut videtur, expressum usurpavit: cfr. etiam id quod E. 304 legitur *κατακεκράκτης*, in quo praepositione *κατά* etiam magis effertur vis fremitus, ita ut sit: »qui vehementer clamat«.

κινητής N 1397, qui movet, agit; eadem notione apud Pindarum et in hymno Homerico *κινητήρ* nomen legitur: quod hic poëta metri causa videtur evitavisse.

τιθασευτής V 704 *ἅπ. λεγ.*, de verbo apud classicos quoque, qui vocantur, scriptores usurpato *τιθασεύω* derivatum significat eum qui domat.

κωμῳδοποιητής P 734, metro, ut videtur, coactus poëta hanc formam finxit pro ea, quam apud Platonen aliosque legimus: *κωμῳδοποιός*.

Ταγηνιστής fr 413, nomen fabulae alicui ab Aristophane inditum, i. e. secundum scholiastam: *οἱ μετ' ἄριστον φίλοι, οἱ περὶ τάγηνον φίλοι*, i. e. qui in batillo sunt, vel qui ea, quae in batillo sunt, gustant: intelleguntur autem colaces et parasiti; forma *ταγηνιστής* ficta est de *ταγηνίζω* verbo (de *τάγηνος* deducto); quod verbum non exstat nisi apud Eupolim comicum et posteriores aliquos. (*ἅπαξ λεγόμενον*.)

νυσταχτής V 12, qui capite nutat: quod nomen vi comica adhibetur de Somno.

Similiter formata et facilia explicatu sunt haec: *ξυγκολλητής* N 446, *μοχλευτής* N 567 et 1397, *ἐγχειρητής* Av 257.

b. nomina deverbalia generis **feminini** in *τρία* exeuntia.

συσκηνήτρια Th 624, feminina forma (de *συσκηνεῖν* verbo deducta), cuius masculina non extat, significat eam feminam, quae mecum est in tabernaculo, coenobio, *ἅπ. λεγ.*



ἐπικοκκάστρια Th 1059, quod Eusthatius eumque secutus Fritzschius de *ἐπικοκκάζω* (*κοκκάζω* forma aliena verbi *καχάζω* est) derivant, ut sit: Ea quae post alqd vel de alqa re ridet, quae illudit; sed quum ne *κοκκάζω* quidem verbum certis testimoniis firmetur, ego praefero alteram vocis scripturam, quae est *ἐπικοκκύστρια*, ut sit ea, quae cuculi vocem illudit, i. e. quae imitatur: quod cum de *ἠχώ* voce optime dici possit cumque *κοκκύζω* saltem firmum ac certum sit, ego non dubito illud nomen *ἐπικοκκύστρια* exarare. *ἅπ. λεγ.*

συμπαίστρια R 411, femininum, cuius forma masculina (*συμπαίστης*) apud alios velut Platonem legitur, de *συμπαίζω* derivatum notat eam, quae cum aliis ludit: quod nomen apud Himerium quoque invenitur.

πανδοκεύτρια Pl 426, deductum de *πανδοκεύω* verbo, quod, ut de aliis taceam, Herodotus in usum vocavit, est femininum ad *πανδοκευτής* (*ἅπ. λεγ.*): nempe caupones viri illis temporibus non erant, sed feminae copae; *πανδοκεύτρια* vox ab Ar. primo in usum deducta apud posteriores scriptores frequens invenitur.

συκοφάντρια Pl 970 et *ναύτρια* fr 652 nomina, si ad vivum resecamus, huc referenda non sunt, quia ea non de verbis, sed de nominibus, quae sunt *ναύτης* et *συκοφάντης*, manare apparet; tamen, quia ad analogiam reliquorum nominum deverbalium formata sunt, ne similia separarentur, huc adscripsi. *ἅπ. λεγ.*

Similia nomina femini generis sunt haec: *συνθεάτρια* fr 699, *συγχορεύτρια* fr 699, *ἅπ. λεγ.*, *θερίστρια* fr 618, *ἅπ. λεγ.*, *φρυγανίστρια* *ἅπ. λεγ.*, *πορνεύτρια* fr 172, *ἅπ. λεγ.*

II. Altera substantivorum deverbalium classe, quam nos in distribuendis nominibus Aristophaneis distinximus, continentur nomina neutrius generis in -*μα* exeuntia: quae terminatio significat eam rem, quae actione verbi effecta est: haec notio est primaria; neque raro fit, ut nomina in -*μα* cadentia translatam habeant significationem, qua virtus aliqua vel actio notatur, velut *κοβαλίκευμα*, *στώμυλμα*.

ῥάκωμα, A 432 i. e. tribon, panni; quod nomen formatum est de verbo *ῥακόω*, quod, ut alios praetermittam, apud Hip-

pocratem legitur significatione discindendi; hoc verbum de *ῥάκος* voce manat saepissime ab omnium temporum scriptoribus usurpata: huic autem nomini, de quo agimus, propria notio subest: »id quod discissum est«.

ὀρθίασμα A 1041, manans de *ὀρθιάζειν* verbo, (quod in Aesch. Pers. v. 687 significat: clara voce clamare, queri) est *ἅπαξ λεγ.*, quod vertimus: vox clare exclamata.

ἀπόκνισμα P 790, ab *ἀποκνίζειν* verbo oriundum, significat *τὸ ἀποκεκνισμένον*, id quod decepitur; *σμίλευμα* R 819, resegmen, *ἅπ. λεγ.*

παράπρισμα R 881, stobs, *ἄσκωμα* A 97, corium.

μύρωμα Ec 1117, id quod inunctum est, unguentum; *ἅπ. λεγ.* Alteram illam, quam supra dixi, notionem praebent:

βωμολόχευμα E 902, ludus, iocularia.

κοβαλίκευμα E 332, furta. *ἅπ. λεγ.*

χάσμημα Av 61, de *χασμάομαι* deductum est: »hiatus oris aperti«. *ἅπ. λεγ.*

κνῦμα Ec 36, pulsatio portae: deductum est de *κνύω*, (quae est alia forma verbi *κνάω*).

στώμυλμα R 943, loquacitas.

ἐπίπταισμα fr 609, plaga, ictus: cum *ἐπιπταίω* verbum non legatur, fortasse compositorum classi hoc nomen ascribere maluerit quispiam; mea tamen sententia hoc verbum mente cogitandum est, de quo illud nomen deductum sit.

III. Terminationes nominum, quae sunt -*τρον*, -*θρον* neutrius et -*θρα* feminini generis, significant aut eum locum aut id instrumentum, quo aliquid fit aut fieri solet: cuius generis nomina et in tola Graecitate, ut hoc verbo utar, rara sunt et apud hunc poëtam pauca exempla inveniuntur:

*κύκηθρον**) et *τάρακτρον* P 654, *ἅπ. λεγ.* rudiculae notionem habent, manant de *κυκάω* et *ταράσσω* verbis simili modo atque *κρεμάθρα* de *κρεμάω;* hoc nomine appallatur ea machina, inqua haerens Socrates inducitur ab Ar. N 218.

---

*) *κυκήθρα* autem ab Hecychio usurpata significat miscendi actionem.

ἀλινδήθρα R 904, *ἅ. λ.*, locus, quo volvitur, volutabrum.

χείμαστρον fr 708, Pollux esse vult vestem hiemalem (*χειμερινόν ἱμάτιον*); quod num rectum sit, disceptare non possumus, quod nusquam legitur haec vox praeter hunc locum; sed cum de *θέριστρον* similia tradantur a veterum lexicorum auctoribus, ansa dubitandi vix erit.

ἐπίκλιντρον fr 145, notat fundamentum lecti, adminiculum sellae.

κομμώτριον fr 309, *ἅπ. λ.*, de *κομμόω* (ornare) deductum, est instrumentum a mulieribus ad ornandum adhibitum.

Cum his nominibus coniungo duo similia in *-ήριον* cadentia, quibus et ipsis significatur locus, quo aliquid fit:

φροντιστήριον N 94, quamquam non a solo Aristophane usurpatum, tamen ab eo in usum deductum est; hic significatur locus, quo cogitatur, apud posteriores notionem habet scholae, curiae, auditorii.

κληρωτήριον Ec 682, fr 194, locus, quo sortes coniciebantur, aut: vas, in quod coniciebantur sortes. Schol. qui *τὰς κληρωτὰς ἀρχάς* explicat, errat.

Denique huc referendum esse videtur id quod fr 82 in Bekk. anecd. 411, 17 conservatur:

ἀντλιαντλητῆρα (*τὸ αὐτὸ τοῦτο ἀντλίον κεκλήκασιν*). Haec vox num recte scripta tradatur, admodum dubito, cum, quid sit altera pars *-τλητῆρα* vix possit enucleari: rectius fortasse scribitur *ἀντλητῆρα* (accusat. nominis *ἀντλητήρ*) vel *ἀντλητήρια*, quod utrumque nomen certe idem ac *ἀντλίον* notaret: error autem per dittographiam syllabae *τλι* vel *τλη* facile oriri poterat: significatur illis nominibus vas, quo hauritur.

IV. Frequentiora occurrunt apud Aristophanem nomina in *-μός* terminata, generis masculini, oxytona, quibus exprimitur is actus vel status, qui verbo transitivo continetur.

στυφελιγμός E 537, (cod. Ravennate traditum, cum reliqui *στυφελισμός* praebeant,) de *στυφελίζω* verbo saepius usurpato manat, ut notio insit similis ac voci *λοιδορία* i. e. tractatio superbiae plena. *ἅπ. λεγ.* *πιθηκισμός* E. 887 (cfr. V 1290),

λαφυγμός N 52, ἐγκαλυμμός Av 1496 ἅπ. λ. Ἀδωνιασμός L 389 ἅπ. λεγ. ῥοπαλισμός L. 553 ἅπ. λ.; [ῥοπαλίζω verbum etsi apud classicae aetatis scriptores non reperitur, tamen cogitandum est fundamento fuisse poëta, de quo illud substantivum derivaret]. λοιδορησμός R 758 ἅπ. λ. γωνιασμός R 957 ἅπ. λ., accurata metatio.

σκαριφησμός R 1497, de σκαριφάομαι verbo descendit, quod est: superficiem scarificare; hoc de σκάριφος nomine originem ducit, quod est aut »virga arida« aut »scriptura levis;« quam utramque significationem inesse in nostro quoque substantivo Hesychius (s. v. καθύρματα) testis est.

V. Similem vim habet terminatio -σις. Nomina Aristophanea sunt haec:

περίλεξις N 319, loquacitas.

χαύνωσις N 875, significat eam actionem, quae languidum reddit alqm (χαυνόω); legitur haec vox apud posteriores aliquos scriptores, velut Sextum Empiricum.

ἀπόφυξις V 558, effugium, fuga; sed vacillat formae scriptura: quum N 874 legamus ἀπόφευξις codicibus traditum, ego non dubito, quin utraque forma ab Ar. in usum ducta sit: utraque est ἅπ. λ. λόφωσις Av 291 ἅπ. λ., cristatio, γυναίκισις Th 863.

VI. Nomina deverbalia in -ία et -η terminata, feminini generis, varias notiones habent: aut actionis, velut καταχήνη, aut status et qualitatis, velut φιληδία. Huius classis apud reliquos scriptores frequentis pauca exempla ab hoc poëta in linguam inducta esse mirandum est.

ἁμαρτωλία P 415 Bentleius reposuit pro eo, quod tradebatur ἁρματωλία, motus iis verbis, quae leguntur in Bekk. antiattic. p. 79, 10: ἁμαρτωλία, Ἀρ. εἰρήνῃ. Christius autem nescio quem secutus in libri, qui est de re metrica, p. 34 metathesin literarum inesse putat in illis vocibus; quod non recte: immo hoc versu figuram, quae est παρ' ὑπόνοιαν, latere persuasum habeo. Nam expectatur secundum huius loci sententiam vox, qualis est ἁμαρτωλή, pro qua poëta, ut iocum moveat, ἁρματωλία παρ'

ὑπόνοιαν ponit. Itaque quamvis inconveniens sit hic iocus, tamen scripturam, quae est *ἁρματωλία*, defendo et huius ioci, quem non intellegebant, ieiunitate ductos illos grammaticos iam antiquitus mutasse traditam scripturam puto. *ἅπ. λεγ.*

φιληδία Pl 307 *ἅπ. λ.*, de *φιληδέω* derivatum, significat voluptatis amorem; hoc nomen non propria compositione, sed derivando ortum esse, testimonio sunt *φιληδής* et *φιληδέω* vocabula, quae ante *φιληδία* nomen in usu fuisse constat.

His nominibus adiungo unum in -*η* cadens, quod similem habet notionem atque ea, quae in -*ία* exeunt:

καταχήνη V 575 Ec 631, ludibrium, contemptio.

VII. Postremo loco addo reliqua substantiva Aristophanea, quae de verbis descendere apparet:

ἐπίμαρτυς L 1286; *ἀρύταινα* E 1091, ab *ἀρύω* verbo manans, significationem parem habet atque *ἀρυτήρ*: vas ad hauriendum aptum. Hoc nomen Theophrastus quoque usurpavit.

ἀμυνίας E 570, deductum de verbo *ἀμύνειν*, habet notionem adiectivam: fortis, armatus; *ἅπ. λεγ.*

ἀπόκινος duas exhibet notiones: priorem saltationis (fr 268), quae iam diu in lingua fuisse videtur; alteram abeundi, quam Aristoph. solus semel ei imposuit E 20, ubi idem significatur ac *τὸ ἀποκινεῖν*.

ἀπότροχος fr. 541, ab Aristophane usurpatum esse notione »circus« testatur Scholiasta ad Eur. Med. 46. (*ἅπ. λεγ.*)

στίγων, fr 46, de *στίζω* deductum, significat servum *ἐστιγμένον*, nota notatum: in lingua attica antea in usu erat vox *στιγματίας*, quam et ipsam usurpatam esse videmus L 331.

πέδων fr 46, a *πεδάω* verbo oriundum, pro *πεδήτης* voce usu recepta in Babyl. fab. legebatur.

σκωπτόλης V 788, significat eum, qui illudit: quod nomen apud posteriores quoque nonnullos invenitur.

βάδος Av 42 *ἅπ. λ.*, ingressus, actio eundi: quod nomen cum apud solum Aristophanem legatur (*βάδον βαδίζειν*), difficile est diiudicatu, utrum hoc a *βαδίζω* manet necne: equidem in eam inclino sententiam, ut putem Aristophanem ipsum ad

paronomasiam quandam verborum efficiendam hoc nomen formasse (cfr. huius prooemii p. 9).

κασαλβάς, meretrix; num haec vox de *κασαλβάζω* verbo deducta sit, an prius fuerit in lingua, non liquet; stirps, quae est *κασαλβα*, est amplificata ex *κάσσα*: qua voce et ipsa »scortum« notatur. Substantivum *κασαλβάς* apud solum Aristophanem Ec 1106 et fr 402 inveni: verbum autem illud apud Hermippum quoque legitur.

B. Nomina denominativa.

Numerus eorum substantivorum, quae de nominibus derivata sunt, ut in universa Graecitate, quae vocatur, ita apud hunc Aristophanem multo minor est quam nominum deverbalium. Equidem hunc ordinem ita disposui ut primum enumerarem nomina generis masculini:

a. masculina, quorum

I. nonnulla in *-ίτης* et *-ίδης* terminantur: haec significant aliquam relationem ad ea, quae nomine simplici exprimuntur:

κριβανίτης A 87, significat id quod in furno (*κρίβανος*) coctum est; quam vocem a compluribus comicis usurpatam fuisse testatur Athenaeus nec potest dubitari, quin iam ante Ar. in usu populari fuerit: *κρίβανος* nomen iam apud Herod. et Aesch. invenitur. —

πυκνίτης E 42, *ἅπ. λ.*, de populo adhibitum, notat eum, qui in pnyce (*πνύξ*) convenire solet.

Στρατωνίδης A 596, nomen patronymicum de *Στράτων* oriundum, quo iocum movere videtur poëta: antecedunt enim alia nomina comice composita:

Σπουδαρχίδης A 595, nom. de *Σπουδάρχης* comice derivatum notat eum, qui studet ambitioni.

Similiter explicari possunt ea, quae in *-ίας* cadunt: *κογχυλίας* fr 240 *ἅπ. λ.*, marmor, cui conchae sunt inclusae: quod nomen de *κογχύλη* (concha) deductum est; Xenophon autem de eadem voce deduxit *κογχυλιάτης*.

κοππατίας, N 23 *ἅπ. λ.*, equus, cui *κόππα* inscriptum est in crure.

Ἀργόλας, forma secundaria nominis *Ἀργεῖος*, quae semel legitur fr 284, ubi rhythmi causa inducta videtur esse.

II. Adiectiva in *-ίων* et *-ων* exeuntia, quae substantivi notionem acceperunt, significationem nominis primarii amplificatam vel elatam — fortasse formatio est comparativa — exprimunt; neque abest ab his contemptio quaedam:

δειλακρίων P 193, de *δείλακρος* adiectivo et ipso ab hoc poëta primo adhibito Pl 973 oriundum, significat hominem miserum.

γλύκων Ec 985, vox vocativo casu usurpata, descendit a *γλυκύς* adiectivo, ut verbis *ὦ γλύκων* insit: Amice carissime, dulcissime. *ἅπ. λεγ.*

μαλακίων Ec 1058 *ἅπ. λ.*, significat hominem effeminatum.

III. Nomina in *-αξ* cadentia ab initio deminutivam notionem habuisse demonstravit Schwabius in dissertationis saepius laudatae p. 48. Sed apud Ar. haec deminutionis vis vix agnoscitur ex paucis huius generis nominibus quae nova finxit.

θαλάμαξ R 1074 *ἅπ. λ.*, est remex in imo transtro sedens; forma videtur esse secundaria vocis *θαλαμίτης*, quae saepius occurrit (Thucyd.: *θαλαμιός*); [referri ad hoc nomen et similia potest id quod Eusth. 540 adnotat: *πάσσαξ ὁ πάσσαλος λέγεται καθ' ὑποκορισμόν*: ergo *θαλάμαξ* quoque forma deminutiva (blanda) vocis *θαλαμιός* haberi potest].

στόμφαξ N 1367 *ἅπ. λ.*, de *στόμφος* (iactatio) deductum; quo nomine poëta notat eum, qui magno largoque ore profundit verba, scilicet Aeschylum, qui illuditur de compositione audaci et ostentationis plena.

σύρφαξ V 673, alia forma pro *συρφετός*, voce usitata.

ῥυάχετος L 170; hanc vocem ego formam secundariam, fortasse doricam — Lacaena enim hoc loco loquitur — nominis *ῥύαξ* esse iudico; quo, si Humboldtium sequinur, notatur fons vel fluvius erumpens: ita ut hoc loco »Atheniensium furor erumpens« significetur. Photius disserit de hac voce p. 491, 25.

b. feminina denominativa.

1. Nomina feminini generis, quibus persona aliqua feminina significatur:

κωμῆτις L 5; *κηρύκαινα* Ec 713, (ortum cum feminarum republica), *ἡρωίνη* N 316, *ἀλεκτρύαινα* N 666 *ἅπ. λ.*, femininum comice formatum ad masculinum *ἀλεκτρυών* (cfr. *ἀλέκτωρ.*)

2. Nomina in *-ία* et *-η* exeuntia, quibus aut status aut qualitas exprimitur. (cum huius generis deverbalia nomina pauca Arist. formaverit, denominativa complura leguntur. cfr. p. 14.)

ἀλιτρία A 907, malignitas, (*ἄλιτρος*) *ἅπ. λεγ.*

ἀπαστία N 621, de *ἄπαστος* adiectivo derivatum, significat eam vitae condicionem, qua nihil edimus. *ἅπ. λεγ.*

ἀνοητία fr 585, lexicographi stultitiam interpretantur.

καταπυγοσύνη N 1023: quam vocem obscoenae notionis derivatam de *καταπύγων* adiectivo, quod saepius invenitur, praeter Ar. Cratinus quoque usurpavit.

ἰωνιά P 577, violarum pulvinus: in hoc uno huius generis alterius nomine, quod apud complures scriptores posteriores legitur, non status, sed res concreta, quae ex nominibus simplicibus composita est, notatur.

ὑηνία P 928, suum gestus i. e. stultitia.

μισητία Av 1620; huius vocis, quam solus Ar. habet, significatio certa non est; vertitur enim aut »libidinosa obscoenitas« aut »cupido possidendi, avaritia;« *μισητός* autem est aut: invisus aut: obscoenus.

ἀκερματία fr 119, secundum Pollucis (9, 89) explicationem ea vitae condicio est, qua quis ad pecuniae inopiam redactus est, i. e. quum ne *κέρμα* quidem habeat. *ἅπ. λεγ.*

εὐρυπρωκτία A 843, notat eius naturam, qui est *εὐρύπρωκτος*.

σορέλλη (fr 1) declaratur a Photio (528, 15): *σκῶμά τι ἐπιχωριάζον εἰς τοὺς γέροντας παρὰ τὴν σορόν*. Derivatur *σορέλλη* de *σορός*. *δηλοῖ δὲ ἡ σορὸς καὶ αὐτὴ κατ' αὐτὴν γέροντα σκωπτικῶς.* Hinc coniecturam facio, illam terminationem, quae est *-έλλη*, nihil esse nisi amplificationem, fortasse deminutivam, non autem

alteram partem nominis compositi ex duobus membris. (*τορελλῆ* verum, quod eodem loco a grammaticis citatur, nihil est nisi adverbium exclamationis, derivatum de nomine *σορέλλη* — Hesych.: *ἐπιφώνημα θρηνητικὸν σὺν αὐλῷ Θρᾳκικόν* — nam quod *σ* cum *τ* litera mutata libris traditur, nihil valet; nomen illud *ἅπ. λεγ.* Aristophaneum est, cum hoc adverb. apud Diogenem Laërtium semel inveniatur.

c. **neutra** huius generis, omnia in *-ειον* exeuntia, sunt haec:

φυλλεῖα, τά, A 469 Pl 544, intelleguntur frondes ac plantae.

λοφεῖον A 1109, significat locum, quo servatur crista, i. e. pharetra; quod nomen Ar. primus, non solus usurpat.

ἄνθειον A 869, eadem notione ac nomen *ἄνθος*, de quo originem ducit, usurpatum est. *ἅπ. λεγ.*

σκιάδειον E 1348, a *σκιά* manans notat umbraculum, quod inde ab Ar. aetate in usum venire coepit.

ὀρνίθειον fr 358 *ἅπ. λεγ.*, locus, quo morantur aves.

d. deminutiva.

Accedunt huic classi substantivorum, quam litera B signavimus, alia quaedam nomina et ipsa denominativa, quae plurima in Ar. fabulis leguntur, deminutiva*). Quae nomina quam varias significationes, quam variam vim habere possint, ex huius poëtae comici exemplis vel maxime cognosci potest, quem prae ceteris auctoribus et poëtis illas formas maxime amasse et saepe usurpasse constat. Neque enim tantum ad notandam rem vere parvam vel minorem, quam reliquae, deminutiva

*) Tota de deminutione quaestio copiose perlustrata est in Lud Schwabii de deminut. Graec. et Latin. dissertatione. (Giss. 1859). Hic vir doctus tria deminutionis genera, quae ad notionem pertineant, distinguit: demin. propria (*μείωσις*), dem. blanda (*ὑποκορισμός*), d. contemptim usurpata (*καταφρόνησις*): quorum alterum et tertium genus maxime in Arist. dictionem cadere mihi videtur. Quae distributio cum nobis ab huius dissertationis consilio aliena esse videatur, praetulimus aliam, quae a sola forma deminutivorum proficiscitur.

b. feminina denominativa.

1. Nomina feminini generis, quibus persona aliqua feminina significatur:

κωμῆτις L 5; *κηρύκαινα* Ec 713. (ortum cum feminarum republica), *ἡρωίνη* N 316. *ἀλεκτρύαινα* N 666 *ἅπ. λ.*, femininum comice formatum ad masculinum *ἀλεκτρυών* (cfr. *ἀλέκτωρ*.)

2. Nomina in *-ία* et *-η* exeuntia, quibus aut status aut qualitas exprimitur. (cum huius generis deverbalia nomina pauca Arist. formaverit, denominativa complura leguntur. cfr. p. 14.)

ἀλιτρία A 907, malignitas, (*ἄλιτρος*) *ἅπ. λεγ.*

ἀπαστία N 621, de *ἄπαστος* adiectivo derivatum, significat eam vitae condicionem, qua nihil edimus. *ἅπ. λεγ.*

ἀνοητία fr 585, lexicographi stultitiam interpretantur.

καταπυγοσύνη N 1023: quam vocem obscoenae notionis derivatam de *καταπύγων* adiectivo, quod saepius invenitur, praeter Ar. Cratinus quoque usurpavit.

ἰωνιά P 577, violarum pulvinus: in hoc uno huius generis alterius nomine, quod apud complures scriptores posteriores legitur, non status, sed res concreta, quae ex nominibus simplicibus composita est, notatur.

ὑηνία P 928, suum gestus i. e. stultitia.

μιστητία Av 1620; huius vocis, quam solus Ar. habet, significatio certa non est; vertitur enim aut »libidinosa obscoenitas« aut »cupido possidendi, avaritia;« *μιστητός* autem est aut: invisus aut: obscoenus.

ἀκερματία fr 119, secundum Pollucis (9, 89) explicationem ea vitae condicio est, qua quis ad pecuniae inopiam redactus est, i. e. quum ne *κέρμα* quidem habeat. *ἅπ. λεγ.*

εὐρυπρωκτία A 843, notat eius naturam, qui est *εὐρύπρωκτος*.

σορέλλη (fr 1) declaratur a Photio (528, 15): *σκῶμά τι ἐπιχωριάζον εἰς τοὺς γέροντας παρὰ τὴν σορόν*. Derivatur *σορέλλη* de *σορός*. *δηλοῖ δὲ ἡ σορὸς καὶ αὐτὴ κατ' αὐτὴν γέροντα σκωπτικῶς.* Hinc coniecturam facio, illam terminationem, quae est *-έλλη*, nihil esse nisi amplificationem, fortasse deminutivam, non autem

alteram partem nominis compositi ex duobus membris. (*τορελλῆ* verum, quod eodem loco a grammaticis citatur, nihil est nisi adverbium exclamationis, derivatum de nomine *σορέλλη* — Hesych.: *ἐπιφώνημα θρηνητικὸν σὺν αὐλῷ Θρᾳκικόν* — nam quod *σ* cum *τ* litera mutata libris traditur, nihil valet; nomen illud *ἅπ. λεγ.* Aristophaneum est, cum hoc adverb. apud Diogenem Laërtium semel inveniatur.

c. **neutra** huius generis, omnia in *-ειον* exeuntia, sunt haec:

φυλλεῖα, τά, A 469 Pl 544, intelleguntur frondes ac plantae.

λοφεῖον A 1109, significat locum, quo servatur crista, i. e. pharetra; quod nomen Ar. primus, non solus usurpat.

ἄνθειον A 869, eadem notione ac nomen *ἄνθος*, de quo originem ducit, usurpatum est. *ἅπ. λεγ.*

σκιάδειον E 1348, a *σκιά* manans notat umbraculum, quod inde ab Ar. aetate in usum venire coepit.

ὀρνίθειον fr 358 *ἅπ. λεγ.*, locus, quo morantur aves.

d. deminutiva.

Accedunt huic classi substantivorum, quam litera B signavimus, alia quaedam nomina et ipsa denominativa, quae plurima in Ar. fabulis leguntur, deminutiva*). Quae nomina quam varias significationes, quam variam vim habere possint, ex huius poëtae comici exemplis vel maxime cognosci potest, quem prae ceteris auctoribus et poëtis illas formas maxime amasse et saepe usurpasse constat. Neque enim tantum ad notandam rem vere parvam vel minorem, quam reliquae, deminutiva

---

*) Tota de deminutione quaestio copiose perlustrata est in Lud Schwabii de deminut. Graec. et Latin. dissertatione. (Giss. 1859). Hic vir doctus tria deminutionis genera, quae ad notionem pertineant, distinguit: demin. propria (*μείωσις*), dem. blanda (*ὑποκορισμός*), d. contemptim usurpata (*καταφρόνησις*): quorum alterum et tertium genus maxime in Arist. dictionem cadere mihi videtur. Quae distributio cum nobis ab huius dissertationis consilio aliena esse videatur, praetulimus aliam, quae a sola forma deminutivorum proficiscitur.

forma adhibetur, verum etiam ad illudendas et irridendas res hominesve saepissime deminutivae primariis, quae vocantur, formis a poëta comico praeferuntur: qua in re illud quoque considerandum est, comoediam atticam, quippe quae in hominibus condicionibusque exagitandis versetur, sermonem popularem volgaremque secutam et imitatam esse; huic autem sermoni formas deminutivas magis convenire, quam gravi Aeschyli et Homeri dictioni quis non videt? Quae quum ita sint, facile explicari potest illud, quod Aristophanes non tantum res rationesque (i. e. nom. appellativa), sed etiam nomina propria interdum forma deminutiva adhibita in scenam traxit.

Quod autem formationem huius classis attinet, in universum contendi potest, Aristophanem easdem, quas priores et posteriores, leges formandi sequi: in singulis autem ita eum vagari saepe videmus, ut, certasne leges de usu et notione deminutivorum Aristophaneorum statuere possis, valde dubitaverim. Neque enim raro de eadem voce complura deminutiva sine ulla significationis distinctione derivavit, velut de *παῖς*: *παιδίον* (saepe) et *παιδάριον* N 821, de *ἀνήρ*: *ἀνδράριον* A 517 et *ἀνδρίον* P 51. Interdum autem »dupliciter deminutiva,« quae vocamus, deduxit ille a nomine aliquo, quae ita formantur, ut forma deminutiva de nomine derivata iterum deminuatur altera terminatione deminutiva addita velut a *κοτύλη* manat *κοτύλισκος* et *κοτυλίσκιον* A 459.

Unius vero nominis formae deminutivae, quae accuratius perlustrentur, dignae videntur esse: De *χλανίς* voce usitatissima haec manare videmus nomina: *χλάνισκος*, (quod Pollux ex comico aliquo, ut videtur, poëta desumpsit), *χλανίσκιον* A 519, *χλανισκίδιον* P 1002 *ἅπ. λ.* — Iam vero de eodem nomine *χλανίς* originem ducit forma *χλανίδιον*, (quam praeter alios nonnullos scriptores Ar. quoque L 1189 usurpavit); de hac Aristaenetus *χλανιδίσκιον* derivavit.

Iam aggrediamur ipsa exempla, quae ita optime distribuuntur, ut terminationes divisioni fundamento iaciantur. — Sed cum omnia, quae Aristophanes formavit, enumerare longum sit nec quic-

quam ex vocabulis discatur, satis esse puto numeros exemplorum addidisse et ea, quae miri aliquid et memoratu digni habeant, in medium protulisse.

I. Terminatio deminutiva, quae frequentissima in nominibus Graecis invenitur eaque usu fere recepta videtur esse, est *-ίον*: quae quidem non tam saepe in Aristophaneis fabulis legitur, quam expectare possumus ex frequentia eius in reliquis literis Graecis. Huic classi ascribenda sunt ea quoque deminutiva, quae de stirpe in *δ* literam exeunte formantur; quae cave cum nominibus dupliciter deminutivis, quae in *-άδιον* et *-ίδιον* cadunt, misceas (Cfr. Schwab. p. 67). Numeravimus huius generis exempla Aristophanea 47, quae omnia ille nova formavit, nonnulla etiam talia, quorum nomen simplex in literis Graecis non invenitur, velut *κοσκυλμάτιον* E 49, quo significatur, quod nos dicimus: Leder-, Wort-geschnitzel; idem iudicandum est de nominibus *κρεκάδιον* V 1215 *ἅπ. λεγ.*, *ἡμιδιπλοΐδιον* Ec 318: quorum formas primarias vix inveneris a scriptore aliquo Graeco usurpatas. Neque etiam pauca sunt deminutiva in *-ίον* terminata, quae notionem nominis primarii paullo immutatam exhibeant: cum *ἀνθρήνη* significet apim ipsam, *ἀνθρήνιον* V 1080 cellam apium notat; *χοιρίον* nomen V 1353 tralata notione et ab Ar. et a posterioribus aliquibus usurpatur pro *αἰδοῖον γυναικεῖον;* unum deminutivum *παλάσιον* P 574 *ἅπ. λ.*, copia frugum succarum et pressarum, ille de nomine *παλάθη* deduxit ita, ut *θ* litera in *ς* transiret, cum de *χρυσομηλολόνθη* derivaret *χρυσομηλολόνθιον* V 1342 *ἅπ. λ.*; cuius varietatis causa fortasse in eo quaeri potest, quod hic *ν* litera, illic vocalis antecedit literae *θ*.

II. Frequentior etiam invenitur apud Ar. alia terminatio ad nomina deminutiva formanda adhibita, *-ίδιον*, quam ex *-ιδ* et *-ιο* ortam esse Schwabius demonstravit: (itaque, si ad vivum resecamus, haec terminatio dupliciter deminutiva est): cuius primam literam interdum cum vocali, in quam cadit nomen, in diphthongum vel unam vocalem coire videmus, velut in *λαγῴδιον* A 520, *ἅπ. λ.*, *ἀμφορείδιον* P 203, Ec 1119, *ὑΐδιον*

forma adhibetur, verum etiam ad illudendas et irridendas res hominesve saepissime deminutivae primariis, quae vocantur, formis a poëta comico praeferuntur: qua in re illud quoque considerandum est, comoediam atticam, quippe quae in hominibus condicionibusque exagitandis versetur, sermonem popularem volgaremque secutam et imitatam esse; huic autem sermoni formas deminutivas magis convenire, quam gravi Aeschyli et Homeri dictioni quis non videt? Quae quum ita sint, facile explicari potest illud, quod Aristophanes non tantum res rationesque (i. e. nom. appellativa), sed etiam nomina propria interdum forma deminutiva adhibita in scenam traxit.

Quod autem formationem huius classis attinet, in universum contendi potest, Aristophanem easdem, quas priores et posteriores, leges formandi sequi: in singulis autem ita eum vagari saepe videmus, ut, certasne leges de usu et notione deminutivorum Aristophaneorum statuere possis, valde dubitaverim. Neque enim raro de eadem voce complura deminutiva sine ulla significationis distinctione derivavit, velut de παῖς: παιδίον (saepe) et παιδάριον N 821, de ἀνήρ: ἀνδράριον A 517 et ἀνδρίον P 51. Interdum autem »dupliciter deminutiva,« quae vocamus, deduxit ille a nomine aliquo, quae ita formantur, ut forma deminutiva de nomine derivata iterum deminuatur altera terminatione deminutiva addita velut a κοτύλη manat κοτύλισκος et κοτυλίσκιον A 459.

Unius vero nominis formae deminutivae, quae accuratius perlustrentur, dignae videntur esse: De χλανίς voce usitatissima haec manare videmus nomina: χλάνισκος, (quod Pollux ex comico aliquo, ut videtur, poëta desumpsit), χλανίσκιον A 519, χλανισκίδιον P 1002 ἅπ. λ. — Iam vero de eodem nomine χλανίς originem ducit forma χλανίδιον, (quam praeter alios nonnullos scriptores Ar. quoque L 1189 usurpavit); de hac Aristaenetus χλανιδίσκιον derivavit.

Iam aggrediamur ipsa exempla, quae ita optime distribuuntur, ut terminationes divisioni fundamento iaciantur. — Sed cum omnia, quae Aristophanes formavit, enumerare longum sit nec quic-

quam ex vocabulis discatur, satis esse puto numeros exemplorum addidisse et ea, quae miri aliquid et memoratu digni habeant, in medium protulisse.

I. Terminatio deminutiva, quae frequentissima in nominibus Graecis invenitur eaque usu fere recepta videtur esse, est *-ίον*: quae quidem non tam saepe in Aristophaneis fabulis legitur, quam expectare possumus ex frequentia eius in reliquis literis Graecis. Huic classi ascribenda sunt ea quoque deminutiva, quae de stirpe in *δ* literam exeunte formantur; quae cave cum nominibus dupliciter deminutivis, quae in *-άδιον* et *-ίδιον* cadunt, misceas (Cfr. Schwab. p. 67). Numeravimus huius generis exempla Aristophanea 47, quae omnia ille nova formavit, nonnulla etiam talia, quorum nomen simplex in literis Graecis non invenitur, velut *κοσκυλμάτιον* E 49, quo significatur, quod nos dicimus: Leder-, Wort-geschnitzel; idem iudicandum est de nominibus *κρεκάδιον* V 1215 *ἅπ. λεγ.*, *ἡμιδιπλοΐδιον* Ec 318: quorum formas primarias vix inveneris a scriptore aliquo Graeco usurpatas. Neque etiam pauca sunt deminutiva in *-ίον* terminata, quae notionem nominis primarii paullo immutatam exhibeant: cum *ἀνθρήνη* significet apim ipsam, *ἀνθρήνιον* V 1080 cellam apium notat; *χοιρίον* nomen V 1353 tralata notione et ab Ar. et a posterioribus aliquibus usurpatur pro *αἰδοῖον γυναικεῖον;* unum deminutivum *παλάσιον* P 574 *ἅπ. λ.*, copia frugum succarum et pressarum, ille de nomine *παλάθη* deduxit ita, ut *ϑ* litera in *ς* transiret, cum de *χρυσομηλολόνθη* derivaret *χρυσομηλολόνθιον* V 1342 *ἅπ. λ.*; cuius varietatis causa fortasse in eo quaeri potest, quod hic *ν* litera, illic vocalis antecedit literae *ϑ*.

II. Frequentior etiam invenitur apud Ar. alia terminatio ad nomina deminutiva formanda adhibita, *-ίδιον*, quam ex *-ιδ* et *-ιο* ortam esse Schwabius demonstravit: (itaque, si ad vivum resecamus, haec terminatio dupliciter deminutiva est): cuius primam literam interdum cum vocali, in quam cadit nomen, in diphthongum vel unam vocalem coire videmus, velut in *λαγῴδιον* A 520, *ἅπ. λ.*, *ἀμφορείδιον* P 203, Ec 1119, *ὑΐδιον*

V 1356: cum in aliis similibus poëta, fortasse metro cogente, duas vocales accurate distinxerit: νοΐδιον E 100; (cuius vocis notio paullum discedit a simplici nomine, ut sit: sententia mentis plena); γηΐδιον fr (fundus), γραΐδιον Pl 537.

Omnia deminutiva, quae de nominibus propriis derivavit Ar., in -ίδιον terminari observarimus: Βοιωτίδιον A 872, Φειδιππίδιον N 80, Σωκρατίδιον N 222 et 237, Ἑρμίδιον P 382, Μυρρινίδιον L 872, Ξανθίδιον R 582 aliaque; quod num casu factum sit, dubitari potest. Schwabium quidem de hac re verba fecisse non videmus. Numeravimus huius generis nomina 57 ab Ar. primo iu usum vocata vel ficta.

III. Tertia terminatio -άριον, quam alii scriptores graeci raro adhibere solent ad formanda nomina deminutiva, et ipsa ab hoc poëta frequens in usum vocata est. De qua cfr. Schwab. p. 69. Inveniuntur autem huius generis deminutiva 14 ab illo sermoni illata. De singulorum huius generis nominum aut formatione aut significatione nihil adnotandum est, nisi quod φιλοττάριον Ec 891 ἅπ. λ. non abstractam significationem, ut forma primaria, sed concretam, quae vocatur, habet.

IV. Neque etiam pauca deminutiva formantur ab Ar. opera terminationum -ισκος, -σκος, -σκη, adiunctarum stirpi nominali, velut καλάμισκος, μαζίσκη, ἱεράκισκος, καλάθισκος; huius generis numeravimus exempla 13.

V. -ις terminationem deminutivam prae se ferunt nomina haec: μαχαιρίς E 412, φορμίς V 58 ἅπ. λ.; ὑσπλαγίς L 1000, deductum de ὕσπληγξ, quod est: funis, quem certatores in currendo transsiliebant; κλινίς Th 261; κληματίς Th 727; πυελίς fr 297; κωρυκίς fr 368; πεζίς; λουτρίς, de λοῦτρον manans, tralata notione significat cingulum quoddam ad tegenda membra verenda adhibitum; βατραχίς E 1406 est viridis ranarum vestis; ἁλουργίς E 967, de ἁλουργός nomine deductum, significat vestem purpura marina tinctam: quod Aristophanes primus, complures post eum scriptores in usum vocarunt.

VI. Iam complectamur reliquas formas deminutivas, quas Aristophanes de nominibus derivavit: κυλίχνιον E 906 ἅπ. λ.,

de *κύλιξ; ἀρύστιχος* V 855, de *ἀρυστίς* nomine derivatum, cui notio eadem inest ac voci *ἀρυτήρ*, quae significat vas ad hauriendum habile; *ἀλωπεκιδεύς* P 1067 *ἅπ. λ.*; *πελαργιδεύς* Av 1356; *μειρακύλλιον* R 89. *μελύδριον* Ec 883, *ἑλκύδριον* E 907 (cfr. Schwab. p. 68.); *κορακῖνος* L. 560; *Ἀττικίων* P 214.

VII. Postremo loco addimus ea nomina, quae Ar. dupliciter deminuit:

κοτυλίσκιον A 459; *θυλάκισκον* fr 32. *κανίσκιον* fr. 208, cui respondere videtur nomen *κανίας; δημακίδιον* E 823 *ἅπ. λ.*; *χλανισκίδιον* P 1002; *ἱματίδιον* Pl 985 (*ἷμα* vel *εἷμα*, *ἱμάτιον*) *ἱματιδάριον* fr 64; *χρυσιδάριον* fr 64. *βιβλιδάριον* fr 64. Hic nominum dupliciter deminutivorum numerus facile ex iis exemplis, quae sub numeris II. et VI collegimus, augeri potest.

VII. Restant tractanda et enumeranda nonnulla substantiva, quae nulli earum classium, quas supra distinximus, adscribi poterant: primum paucae formae secundariae deinde ea nomina simplicia (vel primaria), quae unde originem ducant, enucleari non potest, denique nomina comice et iocose ficta, cum quibus non raro substantivum aliquod vere Graecum conferri potest, quod, ut iocum lusumque rei adderet, praeter expectationem (*παρ' ὑπόνοιαν*) vel rhythmo versuum cogente evitavit poëta.

a. formae secundariae:

μάνη fr 647 *ἅπ. λεγ.* est forma secundaria nominis *μανία*.

τρήμη fr 692 *ἅπ. λεγ.*, pro *τρῆμα* (lacuna).

Ἀχαρνηΐδαι A 322, comice pro nomine usu recepto Acharnenses appellantur, qui v. 329 *Ἀχαρνικοί* vocantur.

Ἀρίστυλλος pro *Ἀριστοκλῆς* et *Ἥρυλλος* pro *Ἡρακλῆς* comice ficta sunt ab hoc poëta fr 456.

b. Nomina, quorum origo dubio est.

ἀλλᾶς A 146, *ἅπ. λεγ.* apud Ar., farcimen: quam vocem finxisse poëtam vix putaveris, etsi solus usurpavit, sed in ore populi iamdudum versata est; unde originem ducat, dici nequit: cui conferri potest latinum: allium; *κολλύρα* fr 363 *ἅπ. λεγ.*,

panis durus et gravis; *κότινος* Av 621, oleaster: quod nomen etsi primus hic poëta in usum vocavit, tamen eum finxisse putaveris cave.

τυφεδανός V 1364 nomine aut subst. aut adiectivo obscuro notatur homo stultus. *ἅπ. λεγ.*

c. Nomina comice et iocose ficta, quae aut cum deverbalibus aut cum denominativis cognationem quandam habent: quo in numero permulta nomina propria sunt, quae ille detorsit et pervertit, ita ut paucis literis mutatis iocum aliquem et lusum significaret: quae omnia cum hoc loco explanare longum sit, relego ad Holzingeri libellum supra laudatum, et ad editiones, quibus multa de explicatione adduntur. Tales verborum lusus omnes fere esse *ἅπαξ εἰρημένα* consentaneum est:

Καταγέλα A 606; *Μαριλάδης* A 609; *Δράκυλλος*, *Ευφορίδης; Πρινίδης* A 612; *Κλωπίδαι* E 79, demus ab Ar. comice fictus: qua voce de *κλῶψ* deducta poëta illudit Cleonem ut furem: *ὁ δὲ νοῦς ἐν Κλωπιδῶν* Schol.; *κρωπίδης* autem verae cuiusdam gentis Atheniensis civis erat.

Συκοφαντίας E 437, ventus quidam comice fictus, sycophantarum scilicet. Verba sunt haec: *πνεῖ καικίας καὶ συκοφαντίας;* ubi *καικίας* nomen proprie significat ventum quendam septentrionalem, sed quia hoc loco cum *συκοφαντίας* coniunctum est, unusquisque intellegit: olet malitiam (*καικίας*) et sycophantarum artem.

Σκίταλοι E 634; *Βερέσεχθοι* E 635.

Στιλβωνίδης Av 139; *Στρούθιος* Av 1077.

Καπνίας V 151; *Καρκινίτης* V 1505; *Κομπασεύς* Av 1126.

Στάμνιος R 22; *Ἀχραδούσιος* Ec 362. *Ἀναφλύστιος* R 427.

Γηρυτάδης fr 199a, *Χαιρητάδης* Ec 51.

Νωνακριεύς fr 655.

Ὀτοτύξιοι Av. 1043, incolae urbis comice fictae; (*ὀτότυξος* enim est ea, quae miseranda est, vel quae miseratur): cui nomini praecedit simile: *Ὀλοφύξιοι*, urbis Thraciae, quae revera extat, incolae; (huius nominis cum *ὀλοφύζειν*, *ὀλοφύρεσθαι* verbis cognatio ignoranda non est.) Itaque similis iocus, quem

παρ' ὑπόνοιαν motum videmus, huic loco subest quam illis verbis, quae supra legebamus: πνεῖ κακίας καὶ συκοφαντίας.

φθίνυλλα Ec 935 ἅπ. λεγ., comice de φθίνεσθαι derivatum, notat vetulam, anum.

B. Adiectiva

Atque haec quidem hactenus de substantivorum formatione: quae cum omnia oculis perlustraverimus, accedamus iam ad adiectiva, quae Ar. nova formavit: ac primum quidem ad ea nos convertamus, quae de verbis aut directa aut indirecta via derivata videntur esse.

A. adiectiva deverbalia,

quorum plurima ἅπ. λ. sunt: huius generis non pauca inveniuntur apud Aristophanem in -ικός exeuntia, quibus ea notio inest, ut significetur is, qui aptus est ad alqd, qui novit alqd, velut συνεργτικός E 1378, ἅπ. λεγ., qui ad colligendum aptus est, γνωμοτυπικός, qui sententias facere potest, καταδακτυλικός E 1381 ἅπ. λεγ., τικτικός fr. 690, pro quo τεκτικός melius exarari iudico, ut sit a τίκτω oriundum et significet: quidquid ad pariendum habile est, pertinet; τὸ τεκτικόν (subst.) explicat Photius 589,1: τὸ ταῖς τικτούσαις διδόμενον φάρμακον. Huius generis (-ικός) numeravimus 14 adiectiva ab Ar. linguae illata.

Deinde huic classi attribuenda sunt:

ἀποβολιμαῖος P 678, qui abicere scutum solet ἅπ. λεγ.

ἐκπετήσιμος Av 1355, ad evolandum aptus.

φυσατήριος L 1242 ἅπ. λεγ., significat ea quae ad tibiam attinent.

ὀσφραντήριος R 893, qui bene odoratur.

ἀναπειστήριος N 875, ad persuadendum aptus.

Denique παρυφής (fr 309) adiectivum fortasse huc referri potest, quod ego a παρυφαίνω verbo poëtam deduxisse existimo, ut esset adtextus, praetextatus: hoc nomine, quod substantivi naturam illo tempore videtur accepisse, continebatur

notio magnificae cuiusdam muliebris vestis; praeter Ar. lexicographi hanc vocem usurpaverunt.

B. Adiectiva denominativa.

Adiectivorum de nominibus directa via descendentium non magnus est numerus: quorum rursus nonnulla

I. in -*ικός* exeunt, quibus significatur id, quod nomini, de quo derivantur, proprium et peculiare est, quod ad ipsum attinet; neque etiam raro nominis primarii notio translata est a poëta.

φοινικικός P 303: sanguineus, ceteris locis: Phoeniceus.

ἀρχαϊκός N 821, forma secundaria adiectivi *ἀρχαῖος*, significat: perantiquus.

μικροπολιτικός fr 649 *ἅπ. λ.*, *κενταυρικός* R 38 *ἅπ. λεγ*, *καπανικός* fr 413 *ἅπ. λ.*, *αὐθαδικός* L 1116, *συνηγορικός* V 691; *Ἀττικωνικός* P 215 *ἅπ. λεγ.*, comice vertitur nomen *Ἀττικός* secundum analogiam vocis *Λακωνικός*.

II. Terminationes, quae sunt -*ινος*, -*εως*, -*ειος*, -*ιος*, significant qualitatem aliquam vel relationem eorum nominum, de quibus derivantur.

μητρίδιος L 550, de *μήτρα* manat, ut sit: qui matricem habet *ἅπ. λεγ.*

βολίτινος R 295, e storcore compositus, *ἅπ. λεγ.*

σφενδάμνινος A 181, *πίσινος* E 1171, *κορώνεως* P 628.

Πηγάσειος P 76, *γερόντειος*, *ἐγχέλειος*, fr. *πανδελέτειος* N 924 adiectivum nominis proprii *Πανδέλετος*, qui sycophanta videtur fuisse.

κόπρειος E 899, stercoris plenus; *ἀνὴρ κόπρειος* comice notatur Cleo, quasi ex pago stercoreo oriundus.

κοπρεαῖος Ec 317 simili notione adhibetur. *ἅπ. λεγ.*

Βρέττιος fr 719, *Δαύλιος* fr 727.

III. Similes notiones subiectae sunt terminationibus minus usitatis: -*ιαῖος*, -*ῖτης*, -*ίας*.

ξυνθηματιαῖος Th 458 (de *ξύνθημα*) *ἅπ. λεγ.*

ἠτριαῖος fr 302, quod ad cor attinet; *τὸ ἠτριαῖον* Athenaeus 3,104 et 3,96 intellegi vult: fragmentum; *Ληναΐτης* E 547, adiectivum nominis *Λήναια*.

βληχωνίας P 712, ex blechone factus. *ἅπ. λεγ.*

IV. Reliqua adiectiva sunt haec:

γάστρις Av 1604, qui crassum ventrem habet, heluo; quod nomen apud multos autores posteriores invenitur.

ποσθάλισκος Th 291, de *πόσθων* manans, videtur notare eum, qui magnum penem habet (Dindorf.); neque etiam male Fritzschius coniecit *ποσθάληκος* esse scribendum (*ληκάω* est concubare cum alqo.): qui concubat cum penibus i. e. cum viris, ita ut etiam obscoenior subsit sententia.

Postremo loco addimus aliquos superlativos et unum comparativum, quos hic poëta comice derivavit de adiectivis iamdiu usu receptis:

ταλάντατος (*τάλας*) Pl 684; *αὐτότατος* (*αὐτός*) Pl 83; *μονώτατος* (*μόνος*) Pl 182; *Δαναώτατος* fr 259[b]; *προτεραίτερος* E 1165, duplex comparativus comice fictus; *μονοφαγίστατος* V 923 (nam superlativi notio iam in *μονο-* voce inest).

Γ. Pronomina.

Praeterquam quod nonnullae formae pronominales ex dialectis Boeotica et Dorica petitae, aliunde quoque notae, leguntur, unum hoc quod adnotetur dignum est, quod Aristophanes *τυννοῦτος* (tantillus) pronomen primus literarum usui intulit et saepius usurpavit: quae vox de *τύννος* (forma dorica pro *μικρός*) descendens ad analogiam pronominum *τοιοῦτος*, *τηλικοῦτος* formata, ab hoc poëta sexies fere adhibetur: E 1220. N. 878 R 139 aliisque locis.

Δ. Adverbia et particulae exclamationis.

Quarto loco complectimur adverbia et particulas, quae vocantur, exclamationem exprimentes, quae ab Aristophane solo usurpantur vel ab eo in linguam inducta sunt. Haec omnia fere *ἅπ. λεγ.* sunt.

δωροδοκηστί E 996 *ἅπ. λ.*, accepta pecunia; qua voce alluditur ad adiectivum *δωριστί* quod v. 989 legitur, (vocalem *η* cur reiciamus et *ι* reponamus, nulla videtur esse causa, cum verbum sit *δωροδοκέω*.)

ἀνδριστί Ec 149; *βαρβαριστί* fr 45; *κριηδόν* L 309.

τετραποδηδόν P 896; *πινακηδόν* R 824.

πλεισταχόθεν fr 668; *τριβωνικῶς* V 1132 *ἅπ. λεγ.*; signif. »in modum triti pallii i. e. ut facere solet is, qui est indutus trito pallio«. —

Βαλλήναδε A 234. Scholiastae explicatione nihil edocemur; hic enim: *παρ' ὑπόνοιαν* dici videri hoc adverbium aut pro *καὶ βάλλειν αὐτόν* aut pro *παλληνικόν* (i. e. *γενναίως βλέπειν*); illud autem significare: quomodo Pallenae fiebat, ubi Pisistratus acerrime pugnabat. — Meo quidem iudicio is iocus, quem expressit poëta, valde molestus et magis Atheniensium quam nostris auribus conveniens est. cfr. Holzingeri l. l. p. 24.

Denique commemoro *δυάκις* et *τριάκις* adverbia numeralia ab hoc solo poëta usurpata, quae fr 607 ap. Schol. ad Dionys. Thrac. in Bekk. anecd. 942, 22 leguntur.

Sequuntur exclamationis particulae: quas apud hunc poëtam permultas inveniri ex comoediae natura sequitur. Sed paucas prorsus novas habet Ar.: plurimas enim earum, quas ille usurpat, ab aliis quoque adhibitas esse videmus. Inde sequitur, voculas exclamationem significantes omnibus sermonibus (dialectis) Graecis fuisse communes nec discernendum esse hac de re inter tragicorum et comicorum aliorumque usum. Unum vero magis novum de huius poëtae particularum usu observasse mihi videor: non paucas particulas, quas iam alii scriptores usurparunt, ab illo terminationibus comice additis auctas et amplificatas esse. Nonnulla denique vocabula etymologiam certam non habent; scholiastarum enim verbis non nimia fides habenda est.

βρῦν N 1382 clamare dicit schol. infantes, qui bibere velint.

βαβαιάξ, quo effertur vis voculae *βαβαί* saepius ab aliis quoque scriptoribus adhibitae, significat primum admirationem

et laetitiam A 64, R 63, deinde dolorem (eheu!) A 1141, P 248, L 312.

αἰβοῖ, interdum etiam *ι* litera corroboratum, ut sit *ἰαιβοῖ*, exprimit primum indignationem et dolorem A 189, E 891, E 957, N 906, N 102, deinde admirationem N 829 V 37, tum laetitiam P 1066, V 1338, P 15.

ἰατταταιάξ (E 1, Th 945) doloris, indignationis particula, cui maior vis inest, quam voculae *ἰατταταῖ*, quae N 707, R 271 vehementem exprimit adhortationem.

μυμῦ E 10, sonus phoneticus dolorem exprimens.

θρέττε E 17, adhortationem significat; terminologia etsi obscura ac dubia est, tamen cum vocibus *θάρρει* et *θάρσος* coniungi potest.

ἱππαπαῖ E 602 comice de equis et equitibus usurpatur.

ἤ, ἤ, N 105. movendo attentionem audientis inservit.

παππάξ, παπαππάξ N 391 voces significant sonum pressum in hominum ventre.

ἀππαπαῖ V 235 laetitiam exprimit.

ῥυππαπαῖ V 909, exclamatio militum navalium R 1073.

ἐποποί Av 58. 227, sonus ab epope editus.

τοροτίξ Av 267 et *τοροτορολίξ* Av 262 vocibus poëta avium quarundam cantum imitatur.

κικκαβαῦ Av 261 ululae (*κικκάβη*) sonus videtur esse.

εὐράξ Av 1258, quod in Iliade notionem habet: »ex alqa parte«, hoc loco cum *πατάξ* coniunctum praebet significationem adhortationis abeundi (quod n. dicimus: husch, husch!)

βομβαλοβομβάξ Th 48; cum vox simplex *βομβάξ* Th 45 admirationem exprimat, haec comice amplificata est ad efficiendum terrorem et admirationem.

ὠόπ et *ὠόπ ὄπ* R 180 et 208, acclamatio nautarum, qua alius alium adhortatur in remigando.

θρεττανελό Pl 290 voce imitatur poëta lyrae sonum.

στριβιλικίγξ A 1035; quo vocabulo »ne minimum quidem« significari ex verborum sententia apparet; sed unde derivatum sit dubitanti, priusquam melius aliquid afferatur, acquiescendum

videtur esse in scholiastae interpretatione, qua dicitur, hanc vocem ex *στρίβος* i. e. *ἡ λεπτὴ καὶ ὀξεῖα βοή* et *λίκιγξ* i. e. *ἡ ἐλαχίστη βοὴ τοῦ ὀρνέου* constare. Sed neque *στρίβος* neque *λίκιγξ* praeter hunc scholiastae locum usquam legitur.

E. Verba.

Iam pertractatis reliquis orationis partibus aggrediamur verborum magnam regionem, ex quibus, quae fuerit poëtae ratio, vel maxime apparebit. Namque etsi multa verba alia a superioribus scriptoribus tradita accepit, alia in sermone populari extantia invenit, tamen haec ipsa verborum copia ad efficiendum id quod petebat, minime sufficere videbatur poëtae. Atque ut in reliquis formationibus, ita in verbis maxime illius licentiam et libidinem admiratus sis; nam modo verba secundum tam simplices leges formata sunt, ut quemvis scriptorem Graecum eodem modo derivaturum fuisse putandum sit, modo summa audacia et varietas comparebit, cum complura verba eandem praebentia significationem de eodem vocabulo originem ducant: quod si fit, noli inquirere discrimina significationis, quae haud facile inveneris; nam poëta ipse summo ioco atque festivitate insultans modo hoc modo illud verbum posuit, quid intersit discriminis, saepe ignarus aut immemor. An inter *χεσείω* et *χεζητιάω* distinxisse illum putabis? Huius quidem rei non minima causa in eo posita est, quod ille, ut saepius diximus, sermonem volgarem et communem, quacunque poterat ratione, imitatus et secutus est. Deinde saepius aut metri ratione flagitante aut, ut iocum moveret, verborum stirpes traditas terminationibus auxit et amplificavit: quo facto vis ac significatio verbi mutata est.

Nobis quidem ad hanc vocabulorum classem describendam et explanandam magno usui erant ea, quae G. Curtius in libro, qui inscribitur »das Verb. der griech. Sprache« de variis verborum generibus sagaci ac subtili iudicio exquisivit et explicavit: in paucis autem rebus ab eius sententia discedendum esse putavimus. Ac primum quidem eius iudicium mirati sumus, quod verba derivata, quae vocantur, intensiva, fre-

quentativa, desiderativa aliaque tam certe affirmavit denominativa, ut hoc verbo utamur, esse, non deverbalia. Nam verba denom. meo iudicio intellegenda sunt talia verba, qualia originem ducere de iis nominibus Graecis demonstrari potest, quae in lingua Graeca ante illud verbum aut revera extiterunt aut extitisse valde veresimile est. Ille autem vir doctus, cum ad fulciendam sententiam suam, — ut *οὐρητιάω* verbum denominativum esse demonstraret —, nomen *οὐρητίας* secundum *οὐρητής* formatum animo cogitandum esse contendit, num veri aliquid simile dicere videtur? Nonne multo melius omnium illorum verborum origo declaratur, si illa verba — eadem ratione ac v. desiderativa in *-σείω* cadentia — directa via de verbis addita terminatione aut *-ιάω* aut *-τιάω* aut *-ητιάω* deducta esse putamus? Sed una fortasse tibi causa erit huius viri docti sententiam praeferendi meae: nam in mea verborum divisione ea, quae primo obtutu simillima sunt, velut *βινητιάω* et *μαθητιάω* separantur et alterum deverbalibus, denominativis alterum adnumeratur. Quod si accuratius inspexeris, facile intelleges, in verbis, qualia *μαθητιάω* (*μαθητ-ής*), *εὐρωτιάω* (*εὐρῶτ-ος*), *ληματιάω* (*λήματ-ος*), *τ* literam semper ad nominis stirpem pertinere ideoque non *-ητιάω* vel *-τιάω*, sed nihil nisi *-ιάω* pro terminatione adiectum esse; et *βινητιάω*, *οὐρητιάω* verba de *βινέω*, *οὐρέω* descendere quis non videt? Quae quum ita sint, meo quidem iudicio rectissime illa verba alia ab aliis distinguuntur.

Neque minus denominativa esse putat Curtius verba frequentativa, quae vocantur, ut *ὠστίζω* aliaque, quae et ipsa ego de simplicibus verbis (*ὠθέω*) addita terminatione deducere maluerim. Nam quid planius est, quam, sicut verbo simplici *ὠθέω* pulsandi notio subest, ita *ὠστίζω* significare »saepe pulsare«, »huc illuc iactare« et similia! Frequentatio enim, ut hoc verbo uti liceat, ad actionem verbalem pertinet, non ad nomen aliquod, quod fortasse continetur verbo! —

A. Verba de verbis derivata et verborum formae, quae vocantur secundariae.

Haec verba apparet semper diversam ac paullum mutatam habere significationem ab iis verbis, de quibus derivantur; omnia deverbalia distribuimus in classes sex:

I. ac primo quidem loco posuimus verba deverbalia desiderativa, quorum

a) duo in -σείω exeunt:

χεσείω E 998, N 295. δρασείω P 62 (quod verbum apud Soph. quoque et Eur. invenitur). cfr. ad hanc terminationem Lexic. Apollonii p. 125,32: ὁ δὲ τύπος τῆς λέξεως ἀττικός... κτλ et ea quae Curtius l. l. II. p. 385 ad haec verba adnotavit.

b) in -σιάω exit κλαυσιάω Pl 1099 ἅπ. λεγ., quod ipsum quoque aliter atque Curtius et Passovius declarandum esse existimo. (Hic de κλαῦσις deduxit, quod in lingua nunquam fuisse lexica testantur). Nam ut de δράω: δράσω et δρασείω, ita de κλάω: κλαύσω et κλαυσιάω originem ducit: quod vero -ιάω, non -είω syllaba stirpi futurali addita est, offendendum non est: nam haec terminatio saepe invenitur in lingua Graeca desiderii praebens significationem: (cfr. ea verba, quae infra posuimus). — In his omnibus autem rebus illud maxime mihi retinendum videtur esse, omnia verba, si ullo modo fieri potest, de iis vocabulis esse derivanda, quae aut revera extant aut extiterunt in lingua, non de obscuris aliquibus et incertis vocibus, quas extitisse ne verisimile quidem est! —

Huic terminationi et forma et notione cognata est: -ιάω, quam habemus in v. ὠρακιάω (cfr. Curtii l. l. I, 349); hoc autem verbum, forma, quae dicitur secundaria, verbi ὠχριάω, mea quidem sententia cum spiritu leni (non: ὡρακιάω) recte exaratur.

c) Denique huic classi verborum desiderium exprimentium adnumeranda sunt verba:

βινητιάω et οὐρητιάω V 807, de quibus iam supra dictum est.

II. Verba, quae sunt formae secundariae vel ex aliena, plerumque dorica, dialecto petitae:

μακκοάω E 62, verbum non atticae videtur esse dialecti;

significat: stupidum esse (*μωραίνω*) atque ex *μὴ κοέω* (idem ac *νοέω*) oriri videtur.

ἀδαχέω est alia forma pro ea, quam Hippocrates usurpavit, *ἀδαξάω*. *ἅπ. λεγ.* fr 360.

κνύω Th 481, eandem notionem habet atque *κνάω* (rado, scalpo).

στεφανίζω E 1225, vel *στεφανίσσω*, forma dorica.

μυσίζω L 981, *λυχνοφοριάω* L 1003, formae laconicae verborum *μυθίζω* et *λυχνοφορέω* sunt.

πλαδδιάω L 171, 990 est verbum laconicum obscura notione, cui non videtur respondere forma attica; scholiasta certe in errorem rapi videtur, cum conferat hoc verbum cum *πλησιάζω*; nam neque si originationem neque si notionem spectas, haec verba comparari possunt; *πλαδδιάω* his locis nihil aliud est nisi: nugari;

συναλιάζω L 93, forma laconica verbi *συναλίζω* est.

III. Verba deverbalia, quae ita fiunt, ut verbis simplicibus terminationes -*ύλλω* et -*υλλιάω* addantur: haec sunt verba, quae vocare possumus deminutiva. Ego vero non dispicio, cur Curtius (II., 390) hanc deminutivorum classem extare in lingua Graeca negaverit. Nam si extant verba, formata ad analogiam nominum deminutivorum, cur ea, quamvis comice ficta sint, verba deminutiva nominare dubitamus? Huc pertinent:

ἡβυλλιάω R 516, comice deductum de *ἡβάω* verbo, apud Pherecratem quoque legitur.

ἐξαπατύλλω A 657, E 1144, verbum de *ἐξαπατάω* manans, est. *ἅπ. λεγ.* apud Aristophanem.

κοικύλλω Th 852, hietandi notionem habens, unde originem ducat, non perspicio.

IV. Verborum intensivorum generi, quod statuitur in arte grammatica (cfr. Curtius l. l. p. 389), adnumeranda sunt haec:

τετρεμαίνω, N 294, tripliciter elatum et amplificatum ex verbo primario, quod est *τρέω*, primum reduplicatione

adhibita, deinde syllaba *αι*, tum litera *ι* additis, ita ut summus timoris gradus exprimeretur. *πρημαίνω* N 336, vehementer flare (*πρήθω*).

διωκάθω N 1482, V 1203. *ἅπ. λεγ.* ap. Ar. (*διώκω*).

σκαλαθύρω Ec 611; dubitari potest, utrum hoc verb. derivatum et auctum sit ex *σκάλλω* (*σκαλεύω*) verbo, an compositum ex hoc et *ἀθύρειν* verbo: ego illam sententiam sequor, qua nihil nisi fodiendi notionem inesse in verbo illo dicitur; quamquam res non facile conficitur; nam hoc uno loco legitur verbum difficillimum ac tralata quidem, ut mihi videtur, notione et obscoena, ut sit: stuprare, concubare; haec autem notio cum ea, quae est »fodere« (*σκάλλω*), facile consentit; neque intellegendum est, quid in tali verbo delectandi (*ἀθύρω*) vis sibi velit.

V. Verba deverbalia frequentativa, quae vocantur, in -*τάω* (*τάζω*) et -*τέω* (*τίζω*) exeuntia sunt haec:

ὠστίζω A 24, (*ὠθέω*), huc et illuc pulsari: quod verbum apud alios quoque comicos velut Teleclidem legitur.

κλαστάζω (E 166), de *κλάω* derivatum, ad huius verbi notionem prope accedit; significat enim: vites frangere, pampinare et tralata notione: alcs animum deprimere. —

Quibus verbis adicio: *χασκάζω* V 695, hietare.

VI. Reliqua verba deverbalia, quorum aut terminologia incerta aut significatio obscura est.

τορύνω (E 1172) *ἅπ. λεγ.* (*τορύνη*); *νεβλαίρω* fr 35.

σπυρθίζω fr 681 *ἅπ. λεγ.*, quod fortasse alia forma verbi *πυδαρίζω* (saltare) est.

τρυγανάω Ec 34, verbum ex sententiarum nexu apparet nihil aliud esse nisi pulsare (portam), sed ex quo verbo deducendum et quomodo scribendum sit, iam veteres interpretes ignorabant neque ego diiudicare ausim, sed satis habeo apposuisse varias huius verbi formas, quae traduntur:

θρυγανάω, *θρυγονάω*, *τρυγονάω*. Scholiasta quidem ad *θρυγανῶσα* nihil adnotat nisi: *ἡσύχως κνῶσα*.

B. Verba denominativa.

Maior est numerus eorum verborum, quae de nominibus originem ducunt; ea autem nomina, de quibus haec verba ab Ar. derivata sunt, plerumque sunt nota usuque recepta; interdum id nomen, de quo Ar. verbum aliquod videtur deduxisse, in literis Graecis, quae nobis conservantur, non extat et mente cogitandum est. In his verbis denominativis non minus quam in verbalibus varias terminationes a poëta adhibitas videmus esse: frequentissimae omnium occurrunt:

I. *-ίζω* et *-άζω*, (cave putaveris *-ιάζω* esse terminationem; nam *ι* si praecedit, semper ad nomen pertinet: *αἰγυπτι-άζω*, ita ut *Αἰγύπτιος*, non *ἡ Αἴγυπτος* ut nomen primarium cogitetur; *άζω* autem semper adhibetur, si praecedit *ι* vocalis, quamquam hoc minime ad Aristophanem peculiariter pertinet;) quae aut populorum nominibus adnexae inclinationem aliquam exprimunt, ut *μεγαρίζω*, aut factitivam vel transitivam, quam vocamus, notionem habent, ut *πτερυγίζω*.

a) Verba denom. inclinationem exprimentia:

λυδίζω E 523. Lydos imitari.

λεσβιάζω V 1346, Lesbiarum more contra naturam stuprare. —

συβαρίζω P 344, — a Meineckio nescio, qua de causa *συβριάζω* exaratum —, Sybaritarum more i. e. luxuriose vivere, (quippe Sybaritae ob luxuriam clari erant).

βακίζω P 1072, *αἰγυπτιάζω* Th 922, *χιάζω* fr 558 *λακεδαιμονιάζω* fr 68; *κορινθιάζομαι* fr 133 a (meretricor: nempe Corinthus magna meretricum copia florebat), *Σιφνιάζω* fr 558, *πιθηκίζω* V 1290, *κορίζω* N 68, *κορυβαντίζω* V 119, (corybantum more sanare, purgare, *κορυβαντιάω* (V 8) autem, quod apud Platonem quoque saepius legitur, significat: mente captum esse).

ἀλωπεκίζω V 1241, vulpinari i. e. decipere.

γρυλλίζω Pl 307, suum sonum edere.

ἠλιθιάζω E 1124, stultum se praebere.

b) Deinde multis verbis denominativis factitiva vel transitiva notio continetur, quae variis rationibus originem de substantivis duxit; namque aut accusativum aut dativum aut rationem praepositionalem fundamentum cogitare debemus; ita ut nomen modo obiectum cogitetur, quod efficitur, modo instrumentum, quo alqd efficitur: verbum enim, quod est *δημίζειν*, explicamus: *τὸν δῆμον ἀπατᾶν*, *ἀγκυρᾴζω*: *τῇ ἀγκύρᾳ καταβάλλειν*, *τετραχίζειν*: *εἰς τέτταρα σχίζειν*.

α. Verba ex accusativi ratione oriunda:

δημίζω V 699, decipere plebem; (alia notio est: a plebis partibus stare).

πτερυγίζω E 522 Av 795 Av 1466, alas movere, alis fremere; quod verbum saepius post Aristophanem invenitur, sed hic primus in usum vocavit.

κιχλίζω N 983, *κίχλας* edere.

στομφάζω V 721, os plenum ad gloriandum adhibere.

παππίζω V 609, *πατερίζω* V 652, *πορπακίζομαι* L 106.

τραγαλίζω V 674, *θυννάζω* V 1087, *βεμβικίζω* V 1517.

τυκίζω Av 1138, *οἰναρίζω* P 1147.

διποδιάζω L 1243, *δευτεριάζω* Ec 634.

ἀκρατίζομαι Pl 295, fr 505a *ῥοθιάζω* fr 60.

ἐλαΐζω fr 167, *καυλίζω* fr 357, *κοκκίζω* fr 506.

βαρβιτίζω fr 594. *ἀνθρωπίζω* fr 100, hominem facere; medio genere: humane agere.

β. Verba ex dativi vel ex praepositionali ratione oriunda:

τετραχίζω fr 688, in quatuor partes distribuere.

ἀγκυρᾴζω E 262, de *ἀγκύρα* (ancora) deductum significat: in alqm fodere. Schol. ad h. l. adnotat haec: *ὑποσκελίσας*, *οἷον τῇ ἀγκύλῃ καταβαλών* (*ἡ ἀγκύλη* est res curvata).

ζυγωθρίζω N 745, circumclaudere alqm, sub signo et claustris ponere; (*ζύγωθρον* est tignum transversarium.)

ἀνθρακίζω P 1136, in carbonibus coquere.

ῥαβδίζω L 587, ferire alqm (ap. poster. quoque legitur).

σκοροδίζω, A 166, allio alqm afficere.

λαγωνίζω; in fr 636 forma *λαγωνίσαι* ex *λεγωνῆσαι* tradito

probabiliter restituta est; *λαγωνίζω* ex *λαγών* deductum idem significat ac *σποδεῖν*: (simili ratione de *πυγή* derivatur *πυγίζειν*).

c. Denique addo nonnulla verba in *-ίζω* aut *-άζω* exeuntia, quae comice ficta sunt aut obscuram habent terminologiam et significationem:

καρδαμίζω Th 617, cardamo similem esse, vel, — quod magis quadrare mihi videtur, — ea facere, quae cardamo similia sunt, de futilibus sermonibus dictum (quod nos dicimus: kohlen); huius verbi notio certis finibus circumscribi non potest, cum etiam cunctandi notio non prorsus ab hoc loco aliena esse videatur.

λαγαρίζομαι V 674, diverse lexica interpretantur, aut ligurrire, aut languem, tenuem fieri. *ἅπ. λεγ.* (nonnulli libri: *λαγαρύζομαι.*)

κυρηβάζω E 272, obscura esse notione lexica et antiqua et recentiora adnotant. Schol. ad hunc versum adnotat haec: *κυρηβασία ἡ τῶν κεράτων μάχη, πλῆξις τῶν τραγῶν.* Sed hae notiones, si recte iudico, sunt translatae et derivatae; primaria autem huius verbi notio esse debet: »alqm caedere ad pulticulam i. e. ita ut fiat pulticula, quod nos dicimus: kurz und klein hauen«; nam ex *κυρήβιον*, quod est furfur, illud verbum derivatum est. Sententia autem illius versus comice in maius aucta et elata est; *κυρηβάσει* enim nihil aliud significat nisi *κλαύσει μέγα* vel tale quid.

σκιμβάζω fr 678, claudicare, haerere alqo loco: quod unde manet, firmari nequit; lexica quidem conferunt hoc verbum cum *κιμβάζω, ὀκιμβάζω*, sed mea sententia a *σκίμβος* nomine vix disiungi poterit.

ταντλαλίζομαι, Tantali more se gerere, vel divitem esse ut Tantalum, qui nummos ponderabat. Cfr. ea quae in huius prooemii p. 8 exposuimus.

II. In verbis, quae in *-όω* exeunt, inesse solet factitiva notio, quam etiam in Aristophaneis verbis invenies. Curtius l. l. I, 349 recte duas praecipuas huius terminationis notiones statuit: alteram, si adiectivum fundamento iacet, causativam: *πλατόω* (*πλατύς*) latum reddere; alteram, si substantivum cogitatur,

ut exprimatur: aliquid efficere, alqm afficere alqa re: *δελφακόω* (*δέλφαξ*), alqm suem facere; *βαλανόω* (*βάλανος*), pessulo alqm afficere (i. e. portam claudere pessulo).

πλατόω A 552 *ἅπ. λεγ.*

πεταχνόω fr 279, dilatare; genere medio: gloriari.

δελφακόομαι A 786, magnum suum fieri.

ῥαφανιδόω N 1083, raphano alqm afficere: qua poena multabantur moechi (cfr. *σκοροδίζω* p. 36).

μινθόω R 1075, polluere alqm stercore humano.

βαλανόω Av 1159 fr 259*.

φυσιγγόομαι A 526, verbum ad illam regulam vix revocaveris; originem autem ducit de *φῦσιγξ* nomine, quod est aut »pustulla« aut »scorodi exterior pars«, ita ut verbum illud aut »inflandi«, »flatu impellendi«, quae notio ad *ὀδύναις* vocem quadraret, aut »scorodo incitandi« significationem habeat: mea quidem sententia *πεφυσιγγωμένοι* significantur homines Megarenses irati et incitati, notione scorodi comice addita in hoc verbo, quia illorum agri scorodo pleni erant!

III. *-ιάω* et *-άω* terminationes, ut iam v. verbalia desiderativa edocuerunt, nominibus adnexae statum aliquem aut desiderium morbumque animi vel corporis, investigationem rei, ut Curtii verbis utamur, exprimunt; sed hanc primariam notionem nonnullis in verbis mutatam esse intelleges.

σιβυλλιάω E 61, desiderium habere oraculorum sibyllinorum (*σίβυλλα*); aliam vim prae se fert verbum, quod est *σιβυλλαίνω*, quod Diodorus usurpavit: ut sibyllam oracula edere. —

κερουτιάω E 1339, cornua tollere (Schol.: *μετεωρίζω τὴν κεφαλήν*); de quo verbo Photius deduxit *κερουτιασμός* i. e. superbia.

εὐρωτιάω N 44, *μαθητιάω* N 183, *μαμμάω* N 1383.

βουβωνιάω V 278, genitalia tumescentia habere.

λοφάω P 1311, apud Babrium significat: cristam habere, hoc autem loco: cristarum desiderio laborare; comice formatum est ad analogiam verborum *ποδαγράω*, *ὑδεράω*.

λημματιάω R 494, *ὀρχιπεδάω* Av 142.

μαδάω Pl 266 manat ex *μαδός* adiectivo, quod est idem ac *μαδαρός*, madidus, fluidus.

κιναβράω Pl 294, odorem hircinum prae se ferre; substantivum *κινάβρα* non extat, sed mente cogitandum est.

φληναφάω N 1475 fr 701, garrire; quod verbum de *φλήναφος* (nugae) descendens post Ar. frequens usurpatur.

μαστυλάομαι (vel *μυστιλάομαι*) E 827, de *μαστύλη* deductum signif.: ex cavato panis frusto ius edere (*τοῖς κοιλοῖς ἄρτοις ζωμοὺς καὶ ἀθάρας ἀρύεσθαι* Schol.).

IV. *-έω* syllaba terminantur ea verba denominativa, quae actionem eius personae significant, de cuius nomine illud verbum descendit: hac terminatione addita plerumque intransitivam notionem effici Curtius recte vidit; quod etiam in Aristophanem cadere videtur, aqud quem ea maxime verba in *-έω* exeuntia intransitivam notionem habent, quae de substantivis compositis, ut *μουςοποιός* aliisque, descendunt.

μουσο-ποιέω N 334. *σεμνοπροςωπέω* N 363.
ἀστραπηφορέω P 722. *ἀρρηφορέω* L 641.
ψευδορκέω Ec 603. *φαρμακοπωλέω* fr 95.
ἀρχιτεκτονέω fr 241.

βοηλατέω et *ὀνηλατέω* fr 598 derivata sunt de nominibus *βοηλάτης* et *ὀνηλάτης*, quae apud atticos, qui vocantur, auctores frequentia leguntur; verba illa a posterioribus scriptoribus ipsa quoque in usum vocantur.

κυκλοβορέω A 381, velut Cycloborum fluvium fremere.

V. Verba denominativa in *-εύω* exeuntia varias habent notiones et Aristophanea maxime vix omnia ad certam regulam revocaveris!

συνωρικεύομαι N 15, biiugo vehi (*συνωρίς*).

προτενθεύω N 1200, antea gustare (*προτένθης*).

μυττωτεύω V 63, de *μυττωτός* deductum, notionem habet concutiendi alqd ad pulticulam (cfr. p. 37 *κυρηβάζω*).

πιτυλεύω V 678, manus in remigando celeriter movere, (*πίτυλος* est remorum pulsus). —

σπλαγχνεύω Av 984; *ἀνθρακεύω* L 340; *χοανεύω* Th 57; *ἀρκτεύω* fr 337.

VI. Reliqua sunt verba denominativa duo: *τρυφεραίνω* V 688, mollem reddere *ἅπ. λεγ.* et *γαργαίρω* fr 327, abundare (*γάργαρα*) *ἅπ. λεγ.*

Restat, ut ea pauca verba enumeremus et explicemus, quae de adverbiis et particulis exclamationem exprimentibus poëta deduxit et ea, quae sonum quendam significunt.

κοΐζω A 746 *ἅπ. λεγ.*, ut suem clamare (*κοΐ*).

βρύλλω E 1126, si recte iudico, de *βρῦν* vocula originem ducit, de qua p. 28 diximus; alia vero notio verbi *βρύλλειν*, quae est decipere alqm, unde manet, nescio.

τραυλίζω N 862, balbultire.

πιππίζω Av 306, clamare, de pullis avibus dictum.

βαβάζω, quod Bentleius valde probabiliter pro eo, quod tradebatur, *βατίζω* reposuit Av 1681, significat: sermocinari malo animo.

κικκαβίζω Lys. 761. i. e. *κικκαβαῦ* clamare, ut ulula clamabat, Av 261. (cfr. hoc adverbium p. 29).

κακκάω N 1383 et saepe, vocem minime decoram hic poëta primus literis intulit (cfr. prooemii p. 4).

Liber alter

qui est

de compositione Aristophanea.

Composita Graeca aut secundum significationem aut secundum formam distribui possunt; formam qui sequuntur, tria distinguunt genera, quae nos quoque infra statuemus; ea autem divisio, quae ad significationem spectat, orditur ab ea ratione, quae inter singula compositorum membra intercedat, ac sex discernit genera compositionis, copulativum, possessivum, determinativum, dependentiae, collectivum, adverbiale: quae divisio a Boppio et Iustio ex Indorum grammaticorum libris desumpta et ad Graecam linguam translata a viris doctis*) varias in partes paullum immutata est. Omnes vero virorum doctorum de compositorum divisione sententias et controversias hoc loco repetere ab consilio huius dissertationis videtur abesse; praesertim cum ea divisio, quam nos statuemus, alia sit et esse debeat. Namque si de omnium compositorum Graecorum origine et usu vel de unius antiquissimi poëtae compositione quaeritur, illam divisionem, qua membrorum ratio spectatur, esse adhibendam apparet: quippe qua accurate statuatur, quam rationem componendi lingua prima vel scriptor ille, de quo agitur, adhibuerit, quasque vocales compositivas, quae vocantur, singulae classes antiquitus insertas exhibeant atque alia eiusmodi. At vero talia discrimina, quale illud, quod est de vocalibus compositivis, in Aristophane vix servata et distincta invenies;

*) Perutiles mihi erant commentationes a Clemmio conscriptae, altera, qua de compositis a verbis incipientibus agitur, (Gissae 1867), altera, cui titulus inscribitur: »Die neusten Forschungen auf dem Gebiet der griechischen Composita« in Curtii studiis ad Grammaticam Graecam et Latinam, voluminis VII. pag. 1 pp.

hic enim poëta illa aetate vixit et scripsit, qua lingua Graeca multis verbis et nominibus novis aucta et locupletata erat: et Aristophanes ipse ad augendam verborum copiam plurimum attulit. Quae quum ita sint, illud quoque facile intellegitur, Aristophanem a prima lingua valde recessisse nec semper omnia praecepta derivandi et componendi usitata observasse; accedit quod hic poëta est comicus*), qui sua libidine vel ad sententiam efficiendam ludicram verba saepe ita misceat et componat, ut certas leges vix agnoveris. Quamobrem ea composita, quae Aristophanes primus aut solus formavit, ita distribuenda esse videbantur, ut primum ea composita consideraremus, quae ille secundum leges in universa Graecitate, quae vocatur, maximeque apud priores scriptores firmas et usitatas finxit, deinde quasi per appendicem ea tractaremus, quae ille audacia quadam et licentia poëtica comice composuit: atque haec quidem sunt »proprie Aristophanea«. Nam composita, qualia sunt *κρουνοχυτρολήραιος*, *κομποφακελορρήμων* aliaque secundum certae classis leges formata esse nego; neque facile talia vocabula certarum classium terminis cirumscribuntur.

Itaque cum nos iis causis, quas supra explanavimus, ducti primam divisionem omnium compositorum secundum formam faciendam esse arbitrati compositionem, quam vocamus formalem ac praepositionalem, a reliquis seiunctim tractaverimus, apparet, eam distinctionem, quam Clemmius**) inter dependentiae composita, quorum prius membrum praepositio est, faciendam esse statuit, ad nostram non spectare divisionem, secundum quam vocabula qualia *ἄπεργος* neque determinativis neque attributivis compositis adnumeranda erunt, sed praepositionalibus; quae vero inter haec ipsa composita propositionalia ratio intercedat, quaeque eorum classes optime distinguantur, hoc in iis quae sequuntur explicationem suam habebit. Iam ad universam compositionem nos convertamus:

---

*) Cfr. huius commentationis pag. 5 et 7 et 9.

**) l. l. in Curtii studiis, voluminis septimi pag. 85 pp.

Tria magna compositorum genera tam in universis Graecis quam in Aristophaneis compositis distingui posse iam dictum est*). Primo generi ea composita adnumerantur, quae ita formata sunt, ut vocabula formalem vim habentia (praepositiones intellego et adverbia nonnulla) componantur alterum cum altero, velut *παρέκ*, *ἀντ-εις-φέρω*. Alterius generis composita ex »voce formali« et vocabulo, »quod vim notionis continet«, (verbo vel nomine)**), inter se coniunctis constant. Tertii generis, quod est numero maximum, composita ita formata sunt, ut vocabula, quae vim notionis habent, alterum cum altero vel etiam complura inter se componantur.

Sed adnotandum est, pleraque priorum generum composita, si significationem spectamus, proxime ad eam tertii generis classem accedere, quam infra adverbialem vocavimus, propterea quod interdum praepositio adverbii notionem ac vim prope aequat***).

Sic in magna illa ac prima omnium compositorum Aristophaneorum divisione agendum esse putabamus: in singularum vero classium dispositione (atque illius tertiae potissimum), quantum maxime poteramus, quantumque Aristophanis ratio ab aliis scriptoribus discedens permittere videbatur, ad eam compositorum distributionem nos applicavimus, quam recentioris aetatis viri docti proposuerunt†).

A. Vocabula formalia composita aliud cum alio, i. e. cum verbo vel nomine non coniuncta, ut rarissima in universa lingua Graeca, ita apud hunc Aristophanem fere non leguntur; paucissima huius generis exempla sunt haec:

---

*) Secuti sumus in hac distributione R. Kuehnerum: Grammaticae Graecae Magnae §§. 338 e. q. s.

**) quae omnia Kuehnerus nomine »Begriffswörter« comprehendit.

***) Cfr. Schoemanni libri, qui est de partibus orationis, eam particulam, qua agitur de praepositionibus et adverbiis (X).

†) Cfr. huius comm. pag. 41.

E 1153 pp. legitur: *τρί**)-, *δεκά-*, *δωδεκά-*, *χιλιό-*, *τρισμυριό-πάλαι*, *προ-παλαίπαλαι*. — Deinde Eustathius in fabula aliqua Aristophanea *ὑπαντάξ* videtur legisse, quod vocabulum Hesychius explicat: *ἐξ ἐναντίας* i. e. ex adverso (fr. 534 apud Eustathium 1442, 2).

Sed praeterea huic primo generi adnumerari videntur posse aut debere ea composita, quibus duae praepositiones cum verbo coniunctae continentur. Nam etiamsi multa eorum, quae huc retuli, ita facta sint, ut altera praepositio ad verbum magis quam ad priorem praepositionem se applicare videatur**), tamen, cum discrimina saepe non facile diiudicentur, cumque nos quidem solam speciem ac formam vocabulorum spectandas esse supra iudicaverimus, omnia talia composita huic classi attribuimus, ne segregentur exempla, quae si formationem ac formam exteriorem spectas, certe similia haberi possunt.

Huius generis vocabula ab hoc poëta primo linguae illata sunt haec***):

ἀντ-απο-πέρδω N 293, *ἀντ-ες-φέρω* L 654, *ἀντ-εκ-κλέπτω* A 527, *ἀντ-εκ-τείνω* R 1042, *ἀντ-εμ-πήγνυμι* A 230, *ἀντι-μεθ-ίστημι* Th. 362;

ἐν-απο-πατέω P 1228, *ἐν-απο-τίνω* Av 38;

ἐν-δι-αερι-αερι-νήχετος†) P 831, vox comice ficta proprie ei classi attribuenda erat, quam litera B signavimus, (iis quae

---

*) adverbia numeralia meo quidem iudicio vocabulis formalibus adnumeranda sunt, non iis, quae vim notionis continent.

**) Ut exemplum afferamus, *ὑπεραποκρίνομαι*, si sententiam vocis spectamus, nihil significat nisi: pro alqo respondere; *ἀποκρίνομαι* enim verbum unam notionem per se solum exprimit; nec cogitari potest, *ὑπέρ* et *ἀπό* praepositiones arte in unum coniunctas anteponi verbo *κρίνομαι*.

***) Significationes horum verborum addere supersedeo, quippe quae plerumque perspicuae sint.

†) Probata Richteri coniectura ita haec vox nobis explicanda videtur esse, ut *ἀέρι* bis positum esse putemus, *ἐν* autem et *διά* praepositiones ad has voces pertinere ordine comice immutato; significantur enim a poëta *οἱ ἐν ἀέρι καὶ δι' ἀέρος νήχοντες* poëtarum animi, qui optime ut sursum deorsum vagantes notantur.

prorsus audacter ficta sunt). ἐγ-κατα-κλίνω Av 122, Pl 620. ἐγ-καθ-αρμόζω L 681. ἐγ-κατα-κρούω R 330;

ἐξ-επ-αίρω L 622;

ἐπ-αν-αγορεύω Av 1071, ἐπ-ανα-βοάω Pl 292, ἐπ-ανα-κρούω, ἐπ-ανα-πηδάω, ἐπ-ανα-φυσάω. ἐπ-απο-δύω L 615, ἐπ-απο-πνίγω E 940, ἐπ-αφ-αναίνω R 1089, ἐπι-διαρ-ρήγνυμι E 701, ἐπ-εγ-κάπτω E 493; ἐπ-εμ-πηδάω N 550, ἐπ-ες-παίω Pl 805, ἐπι-καθ-έζομαι Pl 185;

κατα-δι-αλλάττω V 1284, καθ-υπερ-ακοντίζω Av 825;

μεθ-υπο-δέομαι Ec 544, μετ-εγ-γράφω E 1370;

παρα-δια-κονέω Av 838, παρ-εξ-αυλέω A 681, παρ-εν-σαλεύω Pl 291;

περι-κατ-άγνυμι L 357;

προς-απο-πέμπω Pl 999, προς-αμφ-ιέννυμι E 891,

προς-εκ-τίλλω Av 286, προς-επι-ορκέω L 1238, προς-επι-τέρπομαι R 231;

συν-εκ-μαχέω L 1154, συν-εκ-μοχλεύω L 430, συν-επί-κειμαι E 266, συγ-κατα-δαρθάνω Ec 613, συμ-παρα-μίγνυμι Pl 719;

ὑπ-απο-κινέω Ec 1165, Th 924, Av 1011. (sic melius exaratur Ec 1165, quam ὑπανακινεῖν; nam ὑπανακινέω nusquam invenitur, cum ὑπαποκινέω bis praeter hunc locum ab Aristophane usurpatum sit).

ὑπ-απο-τρέχω Ec 284;

ὑπερ-απο-κρίνομαι*) Th 186, V 951.

B. Atque haec quidem hactenus de compositione vocabulorum formalium: transimus iam ad alteram magnam classem, qua continentur omnia ea composita, quae ex vocula formali connexa cum voce notionem habenti constant: ac formale illud quidem vocabulum semper priorem locum teneat necesse est.

Praecepta autem et leges, quibus hic poëta singulas voces coniunxerit et composuerit, tam simplicia et perspicua sunt nec ab reliquorum scriptorum Graecorum usu recedentia, ut singula explicare necessarium esse non duxerim.

---

*) Cfr. pag. 44. adnott. 2.

Quumque voces formales intellegi velimus primum omnes praepositiones et adverbia praepositionum similia vel ab iis derivata, deinde eas particulas, quae adverbii notionem et naturam habent, (et ea quae per se sola stare possunt, ut *εὖ*, *ἄγαν*, *πλήν* et ea quae nisi coniuncta cum nomine aut verbo poni non possunt, ut *ἡμι*, *δυς*, *λα*, *α* privativum aliaque), hanc compositorum classem optime ita dividemus, ut primum consideremus ea vocabula composita, quorum pars prior praepositio est, deinde ea, quae incipiunt a voce formali adverbii sensum habenti.

Ac primum quidem perlustremus ea composita, quae ex praepositione et vocabulo »notionem continenti« constant:

I. Composita praepositionalia*),

a. quorum maximus numerus in altero membro verbum exhibet.

Quae quidem composita in tria genera dividi posse nobis videntur. Primum enim genus ita formatum est, ut verbo simpliciter anteponeretur praepositio ad exprimendam eam distinctionem, quae inest in praepositione, et coniungendam cum notione verbi; atque haec quidem composita apud alios quoque scriptores et poëtas frequentissima leguntur neque quidquam novi habeo, quod de horum compositorum aut formatione aut significatione in medium proferam**).

Alterum genus compositorum praepositionalium, quod distinctum a vobis quoque velim, id est, in quo praepositionis notio cum verbo magis coiit, ita ut nihil nisi elatio quasi et amplificatio simplicis verbi inesse toti composito videatur; velut

---

*) Hic ea possunt comparari, quae de usu praepositionum cum casibus collocatarum earumque frequentia T. Mommsenius (Entwickelung einiger Gesetze für den Gebrauch der griechischen Präpositionen, Frankf. a. M. 1874 p. 13) observavit.

**) Schoemannus in libro, qui est »de orationis partibus« hanc classem depinxit p. 138 pp.

in verbo *ἀπ-αιθριάζω* praepositio *ἀπό* ad nihil nisi ad efferendam vim verbi pertinet, ut sit: prorsus serenum reddere (coelum); *αἰθριάζω* autem, quod Hippocrates et Aristoteles usurpant, significat: serenum reddere. Verbo, quod est *ἀπ-ανθρακίζω*, alia vis non inest nisi quae simplici verbo *ἀνθρακίζω*: in carbonibus coquere. Exempla Aristophanea sunt *ἀνα-χάσκω*, *δια-λείχω*, *δια-πλύνω*, *συ-ζώννυμι* multaque alia. Huic classi et ipsi magnum spatium in compositione Aristophanea debetur: ac nostrum erit inquirere, quaenam potissimum praepositiones apud Aristophanem hanc vim amplificativam, ut ita dicam, habeant. At, — id quod ex ipsa explicatione mea elucet, — discrimen inter hanc classem et superiorem saepe tenue ac parvum est ac dubitari interdum potest, an haec omnia exempla (primae et alterius classis) rectius eidem classi ascripserim.

Accuratissime autem horum duorum generum exempla distinguenda sunt a tertia classi, ad quam pertinent ea composita, quorum vim et notionem Schoemannus*) optime explicuit, cum dicit: »Die Präposition drückt das Verhältnis zum innern Verbalobject aus«; velut si *ἐκ-κοκκίζω* legimus, (quod est: enucleare), facile intelleges aliud aliquid inesse in huius verbi membrorum relatione, quam in *εἰς-φέρω;* in illo enim ea vis, quae praepositione *ἐκ* continetur, connectitur et arte coalescit cum eo obiecto, quod inest in verbali parte compositi, *κοκκίζω,* non cum ipsa verbi notione, ita ut sit: *τὸν κόκκον ἐξαιρεῖν.*

Primum autem eorum generum, quae supra distinximus, idque simplicissimum et maxime perspicuum iam apud antiquioris aetatis et auctores et poëtas late patere intellexi: alterum quidem paullatim serpere coepit et Aristophanis temporibus valde usitatum usuque receptum erat; tertium denique ab hoc poëta multo frequentius in usum vocatum esse observavi, quam a superioribus scriptoribus idque ab Aristophanis inde aetate magis magisque serpere coepit, cum ante illum non multa exempla legerentur. Quumque in duobus illis prioribus

---

*) l. l. p. 139 pp.

generibus verbum simplex, cui adderetur praeposito, aut extiterit aut extitisse cogitandum sit: huius tertii generis composita praepositionalia directa via, ut mihi quidem videtur, de nominibus, cum quorum notione connectebatur praepositio, descendunt: cuius rei hoc summum argumentum profero, quod verbum simplex, cum quo coniunctam esse praepositionem fortasse cogitaverit quispiam, — in Aristophaneis saltem exemplis — in lingua nunquam fere exstat neque extitisse putari potest.

His in universum dictis transimus ad exempla Aristophanea, quorum, ut iam in exordio huius dissertationis diximus, ea tantum huc pertinent, quae Ar. aut ipse formavit aut primus solusve in usum vocavit. Nec possumus non illud ante significare, multa exempla verborum praepositionalium dubia esse significatione, ita ut saepe statui non possit, cuinam harum trium classium singula exempla rectissime attribuantur.

Primi autem generis exempla cum nihil novi praebeant, sed prorsus secundum leges notissimas formata sint, nominatim omnia afferre supersedeo: satis habeo addidisse numerum praepositionum, quae cum verbis illa qua diximus ratione compositae sunt.

Alterius quoque generis, — in quo praepositiones vim amplificativam, quam vocavimus, habent, — exempla accuratissime, quantum quidem poteramus, numeravimus et sub brevi aspectu composuimus:

	prima classis.	altera cl.	tertia cl.	summa.
ἀπό	15	5	7	27
ἀνά	8	5	3	16
ἀντί	6	—	—	6
ἀμφί	1	—	1	2
διά	3	21	8	32
εἰς	5	—	1	6
ἐξ	9	2	14	25
ἐν	11	8	9	28
ἐπί	7	5	—	12

	prima cl.	altera cl.	tertia cl.	summa.
κατά	21	3	11	35
μετά	2	—	—	2
παρά	7	2	—	9
περί	11	1	—	12
πρό	2	—	—	2
πρός	4	1	—	5
σύν	8	3	1	12
ὑπέρ	8	—	—	8
ὑπό	12	—	1	13
summa	140	56	56	252.

Verba igitur praepositionalia numeravimus 252, quae ante huius poëtae aetatem nondum in usu erant, eaque aut solus Aristophanes usurpavit (*ἅπαξ λεγόμενα*), aut apud eos scriptores, qui post eum scribebant, inveniuntur.

Aggrediamur iam tertium genus verborum cum praepositione compositorum; quae cum saepe non facile explicentur, complura verba facienda erunt de singulis; praesertim si ille comicam notionem verbo subesse voluit vel illud ad exprimendum iocum aliquem formavit. Sed quoniam omnia huius generis exempla nominare longum est, sufficiat singula nonnulla commemoratione dignissima attulisse et explicuisse, reliqua simpliciter enumerasse:

α. ἀπο-θριάζω, de *θρῖον* (folium fici) derivatum, significat: folia fici secare (*ἀποφυλλίζω συκᾶς* Schol.) *ἅπ. λεγ.* A 158. Quamquam verbum simplex *θριάζω* (notionem habens: colligere ficos) apud Sophoclem et Euripidem singulis locis legitur, tamen verbum, quod est *ἀποθριάζω*, facilius et melius explicatur, si directa via de *θρῖον* deducitur addita notione praepositionis *ἀπό;* non enim est: »auferentem colligere ficos,« — hoc esset, si de *θριάζω* descenderet, — sed »auferre frondes de fico«. — Hoc autem loco *ἀποθριάζω* sensu perquam obscoeno adhibitum est: *τὸ πέος ἀποτεθρίακεν.*

ἀπο-ψωλέω A 161, (*ψωλός*, glans), glandem denudare, de hominibus lascivis et libidinosis dictum.

κατα-γιγαρτίζω A 275 ἅπ. λ., enucleare, de *γίγαρτον* (nucleus) deductum, hoc loco obscoenam notionem habet, ut sit: stuprare.

ἐκ-καυλίζω E 825 ἅπ. λ., radicem eripere i. e. radicitus tollere.

κατα-τριακοντουτίζω E 1391, comice fictum et obscoena notione adhibitum: scortari foedera triginta annorum velut meretrices.

ἀπο-μεριμνηρίζω V 5, deponere curas.

δια-κερματίζω V 789 ἅπ. λ., parvam pecuniam (*κέρμα*) permutare.

ἐμ-πυρεύω P 1137, L 372, ignem imponere, incendere (proprie: *τὸ πῦρ ἐμποιεῖν, ἐμβάλλειν τινί*).

ἀμφι-ανακτίζω fr 151 ἅπ. λ., non est: *ἀνακτίζειν ἀμφί τινα*, sed *ἀμφιέναι* (vel simile) *τὸν ἄνακτα*.

Eadem ratione atque ea quae modo explanavi, formata sunt composita Aristophanea haec:

ἀνα-κογχυλιάζω V 589, *ἐκ-κοκκίζω* P 63,
κατα-μυττωτεύω P 247, *δια-καυνιάζω* P 1081,
ἐκ-βολβίζω P 1123 ἅπ. λ., *ἐκ-πρεμνίζω* P 1135,
ἐκ-ποκίζω Th 567 ἅπ. λ., *ἐκ-κορέω* Th 760,
ἐκ-πηνίζομαι R 578 ἅπ. λ., *ἐξ-αγκωνίζω* Ec 259,
ἐξ-ωμίζω Ec 267 ἅπ. λ., *κατα-μελιτόω* Av 224,
δια-μηρίζω Av 669, *δια-κορεύω* Th 480,
ἀνα-κολπάζω Th 1174 ἅπ. λ., *ἀπο-σκοτέω* fr 586,
παρα-χορδίζω Ec 295, *ὑπο-πιττόω* Pl 1093 ἅπ. λεγ.

In his exemplis praepositionalibus, quae adhuc tertio generi adscripsimus, ratio, quae vocatur accusativa, fundamento iacet: nam id nomen, quod in altera compositi parte delitescere demonstravimus, obiectum, quod vocant grammatici, cogitandum est mente additum ei notioni verbali, quam praepositio exprimit: velut in verbo *ἐκ-καυλίζω* nomen *καυλός* quasi obiectum (vel accusativus) fingitur ad notionem praepositionis *ἐκ*, ita ut sit: *τὸν καυλὸν ἐξαιρεῖν*.

β. Sed latius patet huius tertii generis, quod nos distinximus, usus. Neque enim accusativi tantum ratio exprimitur illis

compositis, sed dativi quoque et praepositionum aliquarum. Velut in *κατα-πελτάζω* verbo *πέλτῃ* nominis casus dativus mente cogitandus est, ita ut sit: *τῇ πέλτῃ κατα-λαμβάνειν*, (— *βάλλειν* vel simile) — lexica autem in hac voce explananda falli censeo —; vel *ἀπ-ονυχίζω* significat: *τοῖς ὄνυξιν ἀφαιρεῖν; ἐν-τευτλανόω* verbum explano sic: *ἐν τευτλίῳ ἐντιθέναι, ἐμποιεῖν* aliaque similiter. Huc referri possunt haec:

κατα-γλωττίζω A 380, »lingua lascive osculari,« aut: »verbis exquisitis alqm calumniari. — (proprie *τῇ γλώσσῃ κατ-ιέναι*).

δια-σκανδικίζω E 19, verbo alluditur ad Euripidem, cuius mater caerefolium (*σκάνδιξ*) vendebat; significat autem: »Euripidis more alqd recitare«, (hic enim *κομψευριπικῶς* loqui solebat).

δια-ξιφίζω E 781, gladiis pugnare contra alqm; quod verbum de *ξίφος* derivandum est, non de *ξιφίζω* verbo, quod significationem »bellicose saltandi« habet.

ἐν-τριτωνίζω E 1189 verbum comice formatum significat: cum tribus partibus aquae miscere; quo verbo alluditur ad *Τριτογένειαν*, quae antea nominatur.

Similis ratio — aut casus dativi aut praepositionalis — meo quidem iudico continetur verbis Aristophaneis his:

ἐγ-κορδυλέω N 10, *ἐγ-κοισυράω* N 48, *ἐγ-χυτρίζω* V 289, *ἐμ-φορβειόω* Av 861, *ἐν-θριόω* L 665.

καθ-ιμάω V 379, *κατα-κοτταβίζω* fr 207, *κατα-χυτρίζω* fr 626.

εἰς-καλαμάομαι V 382.

ἐκ-καλαμάομαι V 609, *ἐξ-ανθίζω**) L 43, *ἐκ-ραβδίζω* L 576.

δια-σφηκόω V 1072, *δια-μασχαλίζω* fr 249.

ἀπο-πελεκάω Av 1156.

παρ-αμπυκίζω L 1316.

---

*) De huius verbi scriptura ut iudicium nostrum proferamus, dubitari non posse nobis videtur, quin scribendum sit: *ἐξηνθισμέναι*; quod ut scribamus, commendat primum sententia loci, cum sequantur epitheta *κροκωτὰ φοροῦσαι καὶ κεκαλλωπισμέναι*, deinde verbum *ξανθίζω*, (de qua alia forma tradita *ἐξανθισμέναι* originem ducit), vix apud Ar. inveneris notione huic loco apta; nam semel significationem verbi *ὀπτᾶν* habet A 1047. —

γ. Denique huic tertio generi compositorum praepositionalium attribuo pauca verba, in quibus comparatio quaedam videtur inesse; ea enim notio, quam praepositio exprimit, comparatur cum eo nomine, quod in extremo verbo contineri supra demonstravi, velut *ἀν-ορταλίζω* significat: evolare, plumas efferre (*ἀνά*) velut avem pullam (*ὄρταλος*, *ὀρταλίς*); *συν-τυρόω* est: res miscere (*σύν*) velut caseum (*τυρόν*). Comparatio autem ipsa aut ad subiectum aut ad obiectum referri potest, velut *ἀν-ορταλίζω* est: *ἄνειμι* (vel simile) *ὥσπερ ὀρταλίς*, *ἐγ-κολληβάζω* autem: *εἰσίημι* (vel simile aliquid) *τινά ὥσπερ κόλλαβον*.

Praeter has tres, quas nominavi, voces, ad hoc genus referendae sunt hae:

κατα-σικελίζω V 911, Siculorum ritu vesci alqa re: quod verbum mea quidem sententia non recte interpretantur lexica, quae explanant: »Siculorum caseum edere*)«.

ἐκ-περδικίζω Av 768, ut perdicem aufugere.

ἀπο-λιβάζω, Av 1467, aufugere: ad huius verbi notionem explicandam scholiasta recte adnotat haec: *συντόνως ἀναχωρήσεις, λιβὰς ἡ σταγών, ἧς οὐδὲν ταχύτερον ἐν τῷ πίπτειν· ἢ οὐχ ἐς κόρακας καὶ Λιβύην ἀποφθερεῖ;*

b. Nomina oriunda ex compositione praepositionis et nominis.

1. Hac in classi discernenda sunt ea nomina, quae ab initio adiectivi notionem habent et substantivi vim interdum acceperunt, ab iis, quae personam aliquam vel etiam substantivum aliquod (plerumque masculinum) significaverunt et significant (*ξυν-δικαστής*: *ὑπολύριος*); haec posteriora sunt paucissima, quorum quae invenimus exempla Aristophanea, enumeramus: in quibus determinationem aliquam, ut hac voce utamur**),

*) Quod ita recte dici, ex verbis ipsis apparere mihi videtur:
ἀποδρὰς γὰρ ἐς τὴν γωνίαν τυρὸν πολὺν
κατεσικέλιζε κἀνέπλητ' ἐν τῷ σκότῳ.

**) Cfr. ea quae infra p. 59. de compositis determinativis a nobis exposita sunt.

inesse cognovimus, quia subiectum horum compositorum, ut Schoemanni et Clemmii sententiam reddamus, intra ipsius compositionis terminum situm praepositionis notione accuratius definitur ac terminatur. — Huc pertinent:

κατα-κεκράκτης E 304*); adnexa praepositione effertur et amplificatur notio nominis simplicis.

προ-τένθης N 1198, qui antea gustare studet; *τένθης* autem est: homo ciborum lautiorum amans.

ξυν-δικαστής V 197, collega iudicii.

ξυν-θιασώτης Pl 508, V 728; qui thiasum cum aliis celebrat: quae vox saepius a posterioribus scriptoribus usurpata est**).

ἀπ-ηλιαστής Av 110, qui iudex esse desiit.

συγ-γεωργός Pl 223, qui agrum mecum colit.

ὑπο-πάρθενος fr 190, semivirgo.

ἄμφ-οδος fr 304, via, quae circa alqd ducit.

2. Reliqua nomina cum praepositione composita sunt nomina adiectiva, quae non raro substantivi notionem et formam acceperunt: subiectum autem semper extra compositionis terminum positum est. In his compositis varias notiones contineri arbitrati complura genera distinximus.

α. Nam primum determinativa quaedam, ut hoc verbo iterum utar, ratio inest in iis adiectivis compositis, quorum alterum membrum iam ante compositionem adiectivum erat et per se solum stare poterat, idque praepositione anteposita accuratius definitur et angustioribus quasi terminis circumscribitur:

περι-αλουργός A 856, prorsus purpura tinctus (*ἁλουργός* est: purpura tinctus).

ἐπιμανδαλωτόν A 1201, osculum libidinosum; *μανδαλωτός*, de *μανδαλόω* deductum, est: porta obserata, cui obseratus est pessulus, vectis; linguae autem »osculo dato« obseratur quasi

---

*) Cfr. huius commentat, pag. 10: *κεκράκτης*.

**) Nomen autem simplex, quod est *θιασώτης*, inde ab Euripidis aetate saepe invenitur.

vectis; hinc illa, quam diximus, significatio orta videtur esse, quae praepositione ἐπί addita etiam augetur. Facilia explicatu sunt haec:

ὑπό-λισφος E 1368, paullum laevis, δια-τινθάλεος V 329, κάτ-οξυς V 471, περί-σεμνος V 604, περί-κομψος P 994, ἀμφί-λαλος R 679, ὑπο-πρεσβύτερος fr 128, ἀμφ-αρίστερος fr 432, nonnullaque alia.

β. Alterum huius classis praepositionalis genus attributivam quandam vim ac rationem habet*). Ac praepositiones quidem rectionem suam, quam vocant grammatici, in compositione retinent:

ἐπ-ανθρακίς, A 670, V́ 1127, τὰ ἐπ' ἀνθράκων ὄντα i. e. pisces, qui torrentur.

ὑπο-λύριος, R 233, quae infra lyram sunt: intellegendum autem est iugum lyrae substruendum.

ὑφ-όλμιον, fr 155, τὸ ὑπόθημα τοῦ ὅλμου (Pollux).

ἐπί-κωπος A 231; hoc adiectivum aliam notionem, quam hoc loco, apud posterioris aetatis scriptores habet, apud quos significat: τὸν ἐπὶ τῇ κώπῃ, eum qui in remis sedet; hoc autem loco compositum ortum videtur esse ex verbis: ἐπὶ τῆς κώπης, ut significet: usque ad ansam pertinens, penetrans; atque haec quidem huius nominis notio unica et singularis est Aristophanis.

μετ-όρχιον fr 168, P 568, ὑπο-γάστριον V 195.

γ. Tertium denique genus horum nominum non facilem explicationem habet; meo quidem iudicio praepositioni vim verbi vel participii inesse putandum est. Nam qua alia ratione compositum quod est περι-νέφελος Av 1192 explicabis? cum adiectivum νεφέλιος vel simile non extet, derivandum est de νέφος vel νεφέλη substantivo, ita ut περί voculae notionem participii attribuamus, velut περιβεβλημένος νεφέλαις, circumdatus nubibus (significatur enim illo loco ἀήρ, circa quem nubes

---

*) De hac re V. Clemmius fusius dixit in l. l., Curtii studiorum voluminis VII. pag. 86 pp.

stratae sunt). Quoniam faciliorem explicationem huiusmodi nominum non habeam, commonefacio vos de iis, quae supra*) de verborum cum praepositione compositorum genere tertio in medium protulimus: nam ibi quoque praepositioni plenam vim inesse demonstravimus (velut *κατα-κοτταβίζω* explicavimus: *καταβάλλειν τῷ κοττάβῳ*).

διά-λιθος fr 309, adamantibus omni ex parte ornatus. *ἄπ-ιχθυς* fr 480**), qui abstinet piscibus; *κατα-πύγων* A 79, *δι-εντέρευμα* N 166, *ἀντι-λέων* E 1044.

Postremo loco addimus nomina nonnulla praepositionalia, quorum notio aut comica aut non prorsus perspicua est.

μετά-βουλος A 632 *ἅπ. λεγ.*, qui mutat consilium quod cepit: quam vocem usurpavit Aristophanes hoc loco, ut agnominatio quaedam fiat ad id, quod praecedit: *ταχύ-βουλος*; utrumque autem adiectivum de Atheniensibus adhibitum est.

περι-βαρίδες L 45; significatur genus quoddam feminarum calceamenti tum temporis fortasse usitati: quod nomen etsi apud Aristophanem primum legitur, tamen iam prius in usu videtur fuisse. Cui quae notio insit, non perspicio, (*βᾶρις* notat lintrem) cum neque *βᾶρις* neque *περί* calcei vim exhibeat. *ὑπερ-εξηκοντέτης* Ec 982.

II. Atque haec quidem hactenus de compositis praepositionalibus, quae Aristophanes intulit sermoni. Restant huius classis (B) ea vocabula pertractanda, quae constant nomine vel verbo composito cum voce formali, quae non est praepositio, sed adverbium vel vocula adverbii vim habens.

a. Ac verba quidem huius generis duo extant ab Aristophane primo usurpata:

εὐ-χροέω L 80 et *δι-κωπέω* Ec 1091.

b. Frequentiora sunt adiectiva huius generis, quorum

1. Plurima priore membro *α*, quod vocatur privativum,

*) Cfr. huius commentat. pag. 49. pp.

**) Cfr. Dindorfii adnott. ad hunc locum.

exhibent. (quo in numero non pauca leguntur, quae in altero membro verbum cum praepositione compositum exhibent; quod si fit, duo vocabula formalia ab initio nominis posita sunt*), velut *ἀ-περι-λάλητος* aliaque).

ἀ-δεκάτευτος E 301, id pro quo tributum solutum non est. *ἀν-από-νιπτος*, *ἀ-κατά-βλητος*, *ἀ-παρά-τιλτος*, *ἀ-κωδώνιστος*, *ἄ-ψηκτος*, *ἀ-ΐδρυτος*, *ἀν-αχύρωτος*, *ἀ-μετα-χείριστος*, *ἄ-κουρος*.

ἀ-ψήφιστος vi activa significat eum, qui suffragium non tulit, *ἀ-θαλάττωτος* R 204, qui mare nondum expertus est; quod nomen descendit de *θαλαττόομαι* verbi notione posterioribus temporibus usu recepta, quae est: navigare, in mari esse: superiores autem scriptores aliam huic verbo notionem subiciunt.

ἀ-κόρητος N 44, non purgatus; aliis autem locis hoc adiectivum notionem »insatiabilis« exhibet.

ἀ-περι-λάλητος R 839, qui dicendo superari nequit**).

ἀ-θύρωτος R 838, pro *ἄθυρος* adiectivo, quod frequens legitur, positum est.

ἀν-αρίστητος est forma rarius usurpata, quae apud solos comicos invenitur pro ea, quae usu recepta est: *ἀν-άριστος;* utraque forma habet notionem transitivam.

ἀ-περι-μερίμνως N 136, *ἀ-τεράμων* V 730, *ἄ-λοπος* (*λέπω*) L 736, *ἄ-θηλος* L 881, *ἄ-γυνος* fr 571, *ἀ-σαλαμίνιος* R 204.

β. Sequuntur ea nomina composita, quorum pars prior adverbium, quod vocamus numerale, continet: his adiectivis plerumque notionis amplificatio quaedam comica subest:

τρις-κακοδαίμων P 1271, *τρι-λοφία* Av 94, *τρι-φάλης* fr 458, *τρί-κλυστος* fr 693, *δι-φόρος* Ec 708, *ἡμί-κραιρα* Th 227.

ἡμι-τύβιον Pl 729, *ἡμι-φωσώνιον* fr 616.

πολλο-δεκάκις P 243, comice magnus numerus significatur: multis decem modis.

---

*) Cfr. ea quae in huius commentat. pag. 34 pp. de iis vocabulis diximus, quae a duabus vocibus formalibus incipiunt.

**) Hoc compositum, ut multa, Euripidem de Aeschylo adhibentem facit hic poëta, ut illudat eius componendi rationem.

ἁπαξ-ἅπας E 845 et saepius, plerumque numero plurali usurpatum, significat: omnes uno ictu.

γ. Neque raro πᾶν adverbium — hoc enim adverbii notionem ac vim prope aequat — cum adiectivo compositum videmus esse, ut augeretur et efferretur notio nominis; ab Aristophane quidem primo vel solo composita videmus esse adiectiva haec:

παμ-μίαρος P 182, παγ-κατάρατος L 588, παμ-βδελυρός L 969, παμ-μυσαρός L 969, πάγ-κυφος fr 664, παγ-γλυκερός L 970,

Similis vis ac voculae πᾶν inest adverbio πολύ, quod ipsum quoque ad nominum notiones efferendas adhiberi solet:

πολύ-πειρος L 1109, πολυ-χαρίδας L 1098, πολυ-ποτνία Th 1156; πολυ-κόλυμβος R 245, qui saepe mergit; translata autem significatione adhibetur de carminibus eorum, qui mergunt sub aquas, ranarum scilicet.

Reliqua nomina Aristophanea, orta ex compositione voculae formalis cum nomine vel cum vocabulo notionem continenti, cum facile explicari possint, ea nominasse satis habeo.

ἀρι-ζήλωτος 1329, (forma alia metro flagitata adiectivi ἀρίζηλος, quod Homerus quoque usurpat); αὐτ-οδάξ P 607; αὐτ-έκμαγμα Th 514*).

De βού-παις voce (V 1206) cfr. commentationem egregie scriptam a Doederleinio in Mus. Rhen. vol. II. p. 261. Hic vir doctus Hesychii glossa, quae est: »βοῦ· τὸ μέγα καὶ πολὺ δηλοῖ, Λάκωνες« ductus docuit βούπαις esse puerum, qui puerilis aetatis mensuram excesserit. Hanc sententiam secuti similiter explicandum esse censemus vocabulum βου-κέφαλος (sic!) fr 135 ἅπ. λεγ.; quod nomen interpretor non: »bovis caput ferens«, sed: »magno capite praeditus« nec possumus non mirari, cur Doederleinius hanc vocem non adiecerit reliquis a βου-

---

*) Haec duo nomina ideo reliquis adiunximus, quod αὐτό voculae formalem tantum vim ad augendam notionem vocis simplicis inesse existimavimus; quamquam non ignoramus, pronomina reliqua iis vocabulis esse adnumeranda, quibus notio aliqua continetur.

syllaba incipientibus. *Βου-κεφάλας* autem nomen proprium frequens legitur, Lysias *βουκεφάλιον* quoque in usum vocavit, formam deminutivam vocis *βουκέφαλος*: unde apparet illam vocem tum temporis iam fuisse notam, ab Aristophane non formatam, sed literis inductam.

σαι-κωνίζω vel *σαι-κονέω* fr 674, verbum movendi sese, fortasse ex *κονέω* et *σα* (*ζα*, *σαι*) syllaba ad amplificandam vim addita constat.

λα-κατα-πύγων A 664, amplificatum est adiectivum *καταπύγων*,

εὐ-άγητος N 276, *παλιγ-κάπηλος* Pl 1156,

κατω-νάκη L 1151, vestis quaedam praetextata.

κατω-φαγᾶς Av 288, intellegitur avis, quae devorat omnia (*καταφαγεῖν* est devorare); illuditur Cleonymi *πολυφαγία*. Passovium, qui (sub hac voce) de capite flexo verba facit, errare puto, cum in *κάτω* vocula nihil insit nisi elata notio et antiqua forma praepositionis *κατά*, quam ideo posuit poëta, ut perciperent audientes vocem: *σκατο-φαγᾶς* i. e. qui stercus edit*).

C. Pertractatis omnibus compositis Aristophaneis, quae ad vocabula formalia pertinent, transimus iam ad tertium compositorum genus, scilicet eorum, quae ex verbis et nominibus et inter se et altero cum altero compositis orta sunt. Atque in universum quidem in huius generis divisione Iustii, Clemmii, aliorum rationem sequi poteramus, sed una maxime res accurate animadvertenda erat. Etenim si scriptoris alicuius compositio per se sola spectatur, facile apparet, talia schemata quae vocantur, qualia a grammaticis de universa compositorum regione poni solent, non prorsus sequenda, sed immutanda esse, quantum eius scriptoris, de quo agitur, natura atque ingenium postulat.

Ita factum est, ut hoc tertium genus compositionis Aristophaneae in quinque classes divideremus, quae vocantur: determinativa, copulativa, adverbialis, attributiva,

---

*) Cfr. *σκατο-φάγος* Plut. 706 et ea quae p. 53. de *σκαται-βάτης* voce exposuimus.

dependentiae. — Aliae autem huius generis classes apud hunc poëtam non inveniuntur; nam cave expectaris omnes eas compositorum classes, quas Clemmius vel alius quispiam, qui de compositione Graeca scripsit, invenit neque raro sagaciore quam veriore iudicio statuit, apud Aristophanem quoque redire: immo suam quisque poëta et scriptor naturam secutus aliam classem quam aliam magis excoluit, aliam omnino neglexit; velut eius classis, quam comparativam interpretatur R. Kuehnerus, vix unum exemplum ab Ar. linguae inductum esse invenies.

I. Composita determinativa.

Prima igitur classi continentur composita determinativa: haec interpretor ea composita Graeca, quorum alterum membrum ab altero determinatur et accurate definitur: in priore enim membro accedit aliquid ad alterum membrum, quo hoc ab aliis sui generis nominibus distinguatur, velut *Ψευδ-αρτάβας* nomen oritur ex coniunctione verborum: *ὁ ψευδόμενος* (vel *ψεύδων*!) *Ἀρτάβας*, cuius a vero discrimen notatur: hinc intellegitur, non raro manare talia composita ex ea ratione, quae vocatur attributiva, ita tamen, ut subiectum totius enuntiationis intra ipsius compositi fines positum sit; — in ea autem compositione, quam infra vocavimus attributivam, subiectum extra compositi terminum fingitur; — haec ratio observari potest in iis exemplis, quae infra ascripsimus sub num. 1a et 1b. Eorum autem vocabulorum, quae sub num. 2. enumeravimus, paullum alia ratio est: in his enim alterum membrum priore addito ita definitur, ut praedicativa quaedam ratio subiecta sit, velut *κερο-βάτης* intellegitur: is, qui cornibus praeditus incedit, *κέρως βαίνων*. Atque in hoc altero quidem determinationis genere secundum membrum semper fere verbum exhibet. Huic generi facile apparet inesse similitudinem quandam cum iis compositis, quae adverbialia infra interpretati sumus; velut verbum *μονο-κοιτέω* et »*μόνως κοιτέω*« et »*μόνον* (i. e. accusativus subiecti) *κοιτέω*« explicari potest.

Sed iam inspiciamus exempla singula:

1. Primum enumerabimus ea, quae ex ea ratione attributiva, quae intercedit inter substantivum et adiectivum vel participium, originem ducunt.

a. Priore membro participium continetur:

Ψευδ-αρτάβας A 91, Persae cuiusvis nomen proprium fictum*), *ψευδ-ατράφαξυς* E 630, plantae nomen comice formatum, quod fictum est ad analogiam nominis *ψευδ-αμάμαξυς* V 326, quo notatur falsa vitis, *ψευδό-λιτρον* R 711, sal falsum**).

Κομητ-αμυνίας V 466, Amynias, qui crines in nodum coactos gestat (*κομάω*) i. e. hoc loco: qui se iactat ut Amynias.

διαδρασι-πολίτης R 1014, civis, qui effugit onera publica.

ἀποδρας-ιππίδης V 185; *τρυγῳδο-ποιο-μουσική* fr 313, intellegitur ea pars artis musicae, quae comoedias faciat; nam *τρυγῳδία* ab hoc poëta saepe pro *κωμῳδία* usurpatur; proprie autem significatur: *ἡ μουσικὴ τρυγῳδοποιοῦσα.*

b. Ea composita a t t r i b u t o - d e t e r m i n a t i v a, ut hoc nomine utamur, quorum pars prior adiectivum est:

Πανουργ-ιππαρχίδαι A 603, proprie significantur *οἱ πανοῦργοι ἱππαρχίδαι*, sed intellegi vult poëta Hipparchidem quendam eiusque socios scelestos.

χαυνο-πολίτης A 635, (*ὁ χαυνὸς πολίτης*).

κολό-κυμα E 692, vocem ego compositam esse puto ex *κόλος* (mutilatus, cfr. *κολοβός*) et *κῦμα*, *τὸ κόλον κῦμα*, unda mutilata i. e. cava (*ὅπερ τυφλὸν διὰ τὸ μὴ καχλάζειν* Schol.).

κρόν-ιππος N 1070, *ἰσ-ωνία* P 1227.

ἀκολαστ-άσματα L 398***).

ἀκρο-κώλια fr 309 et 200, *ὀπισθο-σφενδόνη* fr 309, *τρυφο-καλάσιρις* fr 309, notatur vestis quaedam mollis ac pretiosa, (*ἡ τρυφερὴ καλάσιρις*), *μεσ-έγγυος* fr 651, qui vas medius relinquitur.

2. E a c o m p o s i t a d e t e r m i n a t i v a, quae ex verbo coniuncto cum adiectivo p r a e d i c a t i v e apposito vel ex simili ratione originem ducere videntur:

---

*) Conferri possunt: *Ἀρτάβανος*, *Ἀρτάβαζος* nomina Persica.

**) Cfr. Passovii lexicon sub h. voce, quae ut adiectivum explicatur.

***) Cfr. Dindorfii adnotationem criticam ad hunc versum.

μονο-κοιτέω L 592, *ὠμο-σπάρακτος* E 345, *νεό-κοπτος* V 648, *μονο-φαγής* V 923*). *παλαιο-γενής* N 358, *κομψο-πρεπής* N 1030, *λευκό-τροφος* Av 1100, *γενναιο-πρεπής* P 988, *ὀρθο-στάδιον* L 45, nomen derivandum ex coniunctione verborum: *ὀρθὸς ἵστασθαι*, significat vestem aliquam, quae tum temporis gestari coepta est; (neque vero Aristophanes hanc vocem composuit!).

κιγκλο-βάτης fr 191, *κερο-βάτας* R 230, *κοινο-θυλακέω* fr 631, *στρογγυλο-ναύτας* fr 685, *τριτο-στάτης* fr 411, *μυς-πωλέω* V 140, *ἀμνο-κοέω* E 264 proprie: *νοεῖν ὡς ἀμνόν.*

His adnecto nonnulla composita determinativa, quae minus facile explicantur:

θυμό-σοφος N 877 et *θυμο-σοφικός* V 1280, natura sapiens vel natura ad sapientiam aptus.

αὐτό-κομος R 822, natura de se ipso crines habens.

νανο-φυής P 790, qui nanus figura est; (aut: qui nanis natus est!).

Θουριό-μαντις N 332, *ὁ ἐκ τοῦ Θουρίου μάντις;* intellegendus est Lampo quidam Thurio oriundus. Hoc compositum, quomodo differat ab iis, quae vocamus attributiva, si quaesiveris, — nam *ὁ ἐκ Θουρίου μάντις* est ratio attributiva — in hoc determinativo composito subiectum situm est in ipso nomine, cum in compositis attributivis, ut compositum intellegatur, mente addendum vel cogitandum sit subiectum aliquod. Velut si *τραγο-μάσχαλος* explicarem: *ὁ τοῦ τράγου μάσχαλος*, haberemus rationem determinativam aut dependentiae, sed *ὁ τοῦ τράγου μάσχαλον ἔχων* est attributiva ratio!

Restant pauca composita determinativa ab Ar. ficta, in quibus vox definita, quae in iis, quae modo enumeravi, posteriorem locum tenere solebat, licentia quadam poëtica priore loco posita est:

Διομει-αλαζών A 605, (expectamus *Ἀλαζωνο-διόμειος*), homo quidam pago Diomeio oriundus, qui gloriari solebat.

δοκησί-σοφος V 44, qui sapientem se esse putat, qui videtur esse sapiens.

---

*) Cfr. huius commentationis pag. 27: *μονοφαγίστατος*.

Λαμαχ-ίππιον A 1206, notari dicit Schol. ad h. v. *τὸν Λάμαχον ἱππικόν*: quod si recte dicitur, proprie scribendum erat poëtae: *Ἱππικο-λάμαχος* vel simile quidpiam.

II. Composita copulativa.

Altera classis compositorum complectitur ea, quae copulativa ratione, quae vocatur, finguntur; huius generis complura exempla apud Aristophanem legimus, quae hic poëta ad iocum aliquem exprimendum comice composuit.

Neque vero assentior illorum virorum sententiae, qui has voces determinativis adnumerandas esse censuerunt*). Nam etsi alia quaedam ratio est compositionis copulativae Indicae, quam Aristophaneae, tamen Graeca quoque composita, quae infra afferemus, ut copulativa considerari possunt; nam illis compositis exprimuntur et comprehenduntur eae qualitates, quae et priori et alteri membro adhaereant. Sed in his exemplis Aristophaneis plerumque iocus aliquis rei subicitur. Quam scite ab illo R 499 Xanthias *Ἡρακλειο-ξανθίας* appellatur, ut duplex eius natura et figura significetur! Similiter alia nomina copulative çomponuntur ab illo, quorum notiones nos non semper accurate explanare possumus, cum, quid leporis ille expresserit, a nobis inveniri nequeat.

Huc referenda esse iudicavimus composita haec:

Τισαμενο-φαίνιππος A 603, *Γερητο-θεόδωρος* A 605, *κυν-αλώπηξ* E 1067, *γρυπ-αίετος* R 929, *ἱππο-κάνθαρος* P 181.

ἱππ-αλεκτρυών P 1177; hoc vocabulum ter apud Ar. legitur: at si verba, quae R 932 leguntur, accuratius inspexeris, — ubi Aeschylus illuditur, quod eas aves in scenam duxerit — vix putabis Aristophanem primum hoc vocabulum composuisse, sed Aeschylum!

ξιπο-μάκαιρα Th 1127 (loquitur Scytha, pro *ξιφομάχαιρα*).

πλουθ-υγίεια E 1091, V 677, Av 731, significantur divitiae

*) Cfr. Clemm. l. l. pag. 80 pp.

coniunctae cum corporis sanitate; pro hac voce Pindarus verba: *ὑγίεις ὄλβος* usurpavit*).

III. Composita adverbialia.

Ut in reliquarum classium, sic in adverbialis quoque ratione definienda eam viam sumus secuti, ut non secundum compositorum notionem distribueremus, sed secundum eam relationem, quae inter compositorum membra intercedere videretur. Quare nos composita adverbialia interpretamur ea, quae ita facta sunt, ut alterum membrum, quod est verbum, accuratius definiatur antecedente adverbio vel ea structura, quae adverbii vim et sententiam exhibet: *νυκτο-περιπλάνητος* A 265**), qui noctu vagatur; *Κυκλο-βόρος* E 137, qui omnia circa se consumit; hoc nomen est proprium fluvii Attici: fr. 275, 539. *ταχύ-βουλος* A 630, *δημιό-πρατος* E 103, *κομπο-λακύθης*, A 589 et 1182, qui glorifice loquitur. Hoc ego interpretor aut: *κομπῶς λάσκων* aut *κόμπον* (subst.) *λάσκων*.

κομπο-λακέω R 961 *ἅπ. λ.*, *σκοτο-βινιάω* A 1221 *ἅπ. λ.*, *βαρυ-δαιμονέω* E 558, *οἰκτρο-χοέω* V 555 *ἅπ. λ.*, *σαυλο-πρωκτιάω* V 1173 *ἅπ. λ.*, *κωμῳδο-λοιχέω* V 1318 *ἅπ. λ.*, *ἀμαυρό-βιος* Av 685, *μον-ῳδέω* Th 1077, *ὀξύ-λαλος* R 815 *ἅπ. λεγ.*, *κελαινο-φαής* R 1331 *ἅπ. λ.*, *ψυχρο-λουτρέω* fr 39, *κυκλο-σοβέω* V 1523 *ἅπ. λ.* *ἡδύ-οσμος* fr 116, *εὐρύ-βατος* fr 233, *δυσκολό-κοιτος* N 420, *δυσκολό-καμπτος* N 971, *ἑτερ-εγκεφαλάω* fr 611, (*ἑτέρωθι*), *ἅπ. λ.*, *παντ-όφθαλμος* fr 525, (*πάντῃ*), *ἅπ. λ.*

σκαται-βάτης P 42, ex coniectura Meineckii restitutum, *παρ' ὑπόνοιαν* dictum est, ut paronomasia vocis *σκῶρ, σκατός* adiceretur, pro *καταιβάτης*, quod expectamus***); *ὀρθο-πλήξ* denique adiectivum huc referimus, cuius compositio quamquam dubia est, tamen rationem adverbialem, quam nos definivimus,

---

*) Cfr. Clemm. l. l. p. 81.

**) Aliorum autem compositorum, quae a *νυκτο-* incipiunt et adiectivo verbali terminantur, significatio passiva esse solet: vocalis autem compositivae forma in his vocabulis modo *ι* (*νυκτι-*) modo *ο* (*νυκτο-*) est. —

***) Cfr. ea, quae p. 58 de *κατω-φαγᾶς* nomine exposuimus.

proxime accedit. Photius enim explicat: *ὀρθὸς ἐπαιρόμενος καὶ πλήσσων*, qui se vi et robore erigit.

IV. Composita attributiva.

Sequuntur composita attributiva, ea dico, in quibus Iustius superiorem, ut ita dicam, et subtiliorem compositionis rationem inesse voluit; cuius classis illud maxime proprium est, quod subiectum, ad quod refertur compositum, semper extra compositum situm est; itaque compositum ipsum nisi relatum ad substantivum locum habere non potest (cfr. ea quae supra exposuimus ad discernenda haec composita a determinativis!).

1. Ac primum quidem ea explicamus adiectiva attributiva ab Aristophane composita, quae ex coniunctione substantivi cum adiectivo attributive adnexo originem ducunt.

χαυνό-πρωκτος A 104, *ὁ χαυνὸν ἔχων πρωκτόν;* solus Ar. hanc vocem in usum vocat, quae tum temporis in populi sermone et usu videtur fuisse. Similiter iudicandum est de *εὐρύ-πρωκτος* A 716.

μελανο-συρμαῖος Th 857, habens nigram vestem (*σύρμα*) aut syrmaeam (*συρμαία* est remedium ad purgandum aptum): toti autem adiectivo inest notio comica: »nigram vestem habens et illuviem«.

μορμορ-ωπός quoque adiectivum huc referri velim, etsi non constat, priorem eius partem esse adiectivum. Hesychius quidem *μορμώ* nomini eandem notionem subicit ac *φόβος* substantivo; sed cum huius nominis opera illud compositum explicari non posse intellexerim, — quid enim esset »timoris vultum habens? — *μορμορός* esse adiectivum iudico de *μορμώ* (vel *μορμών*) deductum, quod etsi nusquam legitur, tamen illi composito fundamento fuit et hic poëta, qua est licentia, ipse formavit. —

τετρα-πτερυλλίς A 871 adiectivum cum terminatione, quam vocamus deminutivam, substantivi notionem accepit.

πεντέ-λιθα fr 335, substantivum, derivatum de *πεντέλιθος* adiectivo, cui ab initio supplendum erat substantivum velut

παῖγμα, ut esset: lusus quinque lapidum, quo delectabantur Atheniensium puellae. Pro *πεντέλιθα* libri meliores praebent *πεντά-λιθα*, quam formam contra usum atticum pugnare demonstravit Dindorfius in adnot. ad hunc locum.

Referri huc potest *σεμνο-προσωπέω* N 363*) verbum deductum de *σεμνο-πρόσωπος* adiectivo attributivo, quod nisi apud Eustathium servatum non est. Reliqua adiectiva quae huic classi adnumeranda sunt, haec sunt:

ταναό-δειρος Av 254, *φοινικό-πτερος* Av 273, *ὑστερό-πους* L 326, *μεγαλό-πετρος* L 483, *μελάμ-πυγος* L 802, *δασυ-πώγων* Th 33, *ἑτερό-τροπος* Th 724, *πολύρ-ροδος* R 448, *μελανο-κάρδιος* R 470, *ἀφοβό-σπλαγχνος* R 496, *αὐθαδό-στομος* R 837, *λευκό-λοφος* R 1016, *θηλύ-φρων* Ec 110, *ποικιλό-μορφος* Pl 530, *πολυ-γράμματος* fr 43, *κυανο-βένθης* fr 209, *ἑλικο-βόστρυχος* fr 314, *πλατύ-λογχος* fr 401, *βαθύ-κομος* fr 557, *ἀωρο-θάνατος* fr 592, *ὀκτα-χοίνικος* fr 731, *πεντ-έτης* A 188, *τετρά-πτιλος* A 1082, *τρί-ορχος* V 1532, *δι-χοίνικος*, *τρι-έμβολος*, *δι-κόλλυβος*, *τρι-ημι-ωβόλιον*, *ἑκατον-τάλαντος* E 443, *πεντε-σύριγγος* E 1049, *πεντε-τάλαντος* N 759, *τρι-χοίνικος* V 481, *τετρ-ώβολος* P 254, *μυρι-άμφορος* P 521, *ἐκ-μέδιμνος* P 631, *δεκά-μνοος* P 1224, *τρι-κότυλος* Th 743, *δωδεκα-μήχανος* R 1327, *τετρα-στάτηρος* Ec 413, *πεντέ-χους* fr 183, *δεκα-τάλαντος* fr 264, *ἑπτα-κότυλος* fr 399.

2. Altera compositorum attributivorum classi ea continentur adiectiva, quorum prius membrum notionem genetivi dependentis ab altero membro exhibet: leges autem, quibus haec nomina formantur, prorsus eaedem sunt atque in priore classi (IV., 1). Ut exemplum addamus, *κολακ-ώνυμος* V 592 est: *τοῦ κόλακος ὄνομα ἔχων*, quo adiectivo significatur is, qui habet nomen adulatoris. Permulta huius generis exempla in lingua Graeca, permulta apud Aristophanem leguntur, sed pauca, quae nova formavit, si reliquarum classium numerum reputamus; exempla autem huc referenda sunt haec:

---

*) Cfr. huius comment. pag. 39.

συκο-πέδιλος E 529, qui habet sandalia ficulnea; sed tecte significatur is, qui habet sycophantae sandalia: est hoc adiectivum cognomen Dorus, deae corruptionis fictae, ita ut summus iocus exprimatur verbis: *Δωροῖ συκοπέδιλε.*

ἰατρο-τέχνης N 332, qui medici artem habet, exercet.

βορβορό-θυμος P 753, adiectivum comice formatum, quod vix ad ceterorum analogiam declaraverimus: neque enim explicare possumus: *βορβόρου θυμὸν ἔχων*, sed *βορβόρο* illud comice praepositum est, ita ut licentia quadam formata sit haec vox.

θυμ-αγροικός fr 707 valde diversis modis explicari potest; lexica interpretantur: in ira rudis; ego vero cum antea de interpretatione adverbiali vel determinativa (*τὸν θυμὸν ἀγροικός*) cogitarem, iam id ita explanari posse puto, ut *θυμ-αγροικός* vocis membra inversa esse cogitem; nam proprie componendum erat poëta: *ἀγροικό-θυμος*, quo notatur is qui rudem animum habet. Quod vero membra huius vocis inversa sunt, mirum nos non habet, cum saepius talia observari possint*).

μες-αύχην fr 648 est aut: *ὁ μέσος αὐχήν*, (ut sit compositio determinativa,) aut: *ὁ τὸν αὐχένα μέσον ἔχων* i. e. mediam intra codicem, (ut sit compositum attributivum).

Quoniam ea, quae minus facilia sunt explanatu, rectissimo, quo nos quidem poteramus, iudicio usi declaraverimus, restat ut reliqua huius classis composita attributiva simpliciter enumeremus:

Γοργο-λόφας A 567, *Γοργό-νωτος* A 1124, *πριν-ώδης* V 383, *Διπολι-ώδης* N 984, *θηλυδρι-ώδης* Th 131, *ὑποζυγι-ώδης* fr 696, *τραγο-μάσχαλος* P 811, *γυναικό-φωνος* Th 192, *μοιχό-τροπος* Th 392, *ἀλφιτό-χρως* fr 553.

V. Composita dependentiae.

Quintam classem eorum compositorum, quae ex verbis et nominibus constant, habemus composita dependentiae, quae

---

*) cfr. ea, quae de nominibus *Διομει-αλαζών* et similibus in huius comment. pag. 66 pp. exposuimus.

interpretamur omnia ea, quorum membra dependentiam aliquam — casu vel genetivo vel dativo vel accusativo explicandam — alterum ab altero rectum exhibent: ad hanc dependentiam verbali membro non semper opus esse apparet.

Hanc definitionem dependentiae a Curtio propositam V. Clemmius non est secutus, cum dicit haecce: quia genetivus aliquis — ὀξ-άλμη, ἡ ὄξεος ἅλμη (dependentiae), — prosus pari ratione atque adiectivum ad substantivum relatum — χαυνο-πολίτης, ὁ χαυνὸς πολίτης (determinativa), — attingat id substantivum, quod accuratius definiatur, effici, ut illa composita a substantivis incipientia, qualia ὀξ-άλμη, determinationis compositis adnumeranda sint; deinde ea composita, quorum priore membro accusativus, quem vocamus interioris obiecti, contineatur, ea et ipsa determinativa habenda esse. Quae sententia quamquam arte et ratione non caret, cum ea composita, de quibus ille agit, propinquitatem aliquam et similitudinem habere cum determinativis negari non possit, — tamen illam definitionem retinemus G. Curtium secuti: quippe quae sit simplicissima eaque exempla paria non seiungantur. Etenim si composita illa genetivum in priore membro exhibentia secluderemus, ea quoque, quibus dativi notio inest, ab his dependentiae compositis secernenda essent: quod si fieret, ea sola restarent, quae accusativum a verbo finito dependentem exhibent neque causa appareret, cur mutaremus nomen huic classi a superioribus aliquibus grammaticis inditum, qui haec obiectiva composita nominarunt.

Nos igitur, ut sententiam nostram de hac compositorum classi paucis verbis comprehendamus, »dependentiam« iudicamus esse posse et genetivi et dativi et accusativi; determinativa autem composita, primo obtutu similia, eo differunt ab his, quod ibi adiectivum proxime coniungitur cum notione nominis, hic autem casus ab ea dependet et regitur: nam verbis: ὁ χαυνὸς πολίτης prorsus alia ratio continetur, quam verbis ἡ ὄξεος ἅλμη. Recte igitur huic classi dependentiae nomen inditum est pro eo, quod antea habebat, obiectivae.

His igitur causis ducti distribuimus dependentiae composita ab Aristophane in usum vocata ita, ut primum ea enumeraremus, inter quorum membra ratio genetivi intercederet.

νου-βυστικός V 1294, Ec 441, mente plenus. *σκοροδ-άλμη* E 199, *ὀξ-άλμη* V 331, *ὑο-μουσία* E 986, *τρυγο-δαίμων* N 296, *μετεωρο-φέναξ* N 333, *μετεωρο-σοφιστής* N 360, *ἰχθυο-λύμης* P 811, *ὀξύ-βαφον* Av 361, *κυκλιο-διδάσκαλος* Av 1403, *ἀνδρ-εραστρία* Th 392, *πρωκτο-πεντετηρίς* P 876, *πομφολυγο-πάφλασμα* R 249, *δημο-πίθηκος* R 1085, *λευκο-πληθής* Ec 387, *ὀρχί-πεδον* Pl 956, *Ποντο-ποσειδών* Pl 1050, *ἀσκο-θύλακος* fr 217, *στρωματό-δεσμον* fr 249, *ναυ-φύλαξ* fr 339, *ἀσκο-πήρα* fr 482, *κρεο-στάθμη* fr 633, *ὀρνίθ-αρχος* et *κολοί-αρχος* Av 1212 et 1215, *περιστί-αρχος* Ec 128.

μισθ-αρχίδης A 597, qui mercede (*μισθοῦ*) fungitur magistratibus.

στρεψο-δικο-πανουργία Av 1468, malitia, quae cernitur in iuris falso interpretandi arte; membrum prius, ut saepe apud hunc poëtam, (*στρεψο-δικία*) et idem duabus partibus continetur.

τρυγό-ιπος P 535, linteum ad colandum aptum*).

Denique de composito *ἀπειρο-λεχής*, quod Th 119 legitur, pauca verba addenda sunt: de quo hoc est iudicium meum, ut putem, inversa esse membra ac proprie scribendum fuisse poëtae: *λεχ-άπειρος* vel *λεχες-άπειρος*.

Neque vero probare possum ea, quae Clemmius l. l. p. 88 de talibus verbis disputavit; dicit enim se Curtio**) auctore talia composita attributivorum generi ascribere; quod non recte: nam Curtius nulla composita nisi ea, quorum prius membrum *α* privativum est, huic generi ascripsit; illa vero, quae ab adiectivo *ἄπειρος* incipiunt, quomodo attributiva esse possint, equidem non video. Quare retinendum est illud, in *ἀπειρο-λεχής* composito alterum membrum regi ab *ἄπειρος* adiectivo, quod genetivum regere solet; notio autem huius vocis ad Dianae

---

*) Cfr. huius prooemii p. 4.

**) Grammaticae Graecae scholasticae §. 360.

naturam optime convenit, quippe quae saepius ut tori genitalis imperita celebretur.


2. Ad alterum dependentiae compositorum genus rettulimus ea vocabula, quorum alterum membrum ut casus dativus ab altero dependens cogitandum est.

τειχο-μάχας A 570, qui contra moenia pugnat, (*μάχομαι* enim dativum regere solet); *τειχομαχία* nomen iam Herodotus usurpavit.

θεοις-εχθρία compositum, quod V 418 legitur, huc referendum esse putavimus, quamquam neque etymologia neque scriptura comperta est et diverse explicatur: Postquam Benfeyus hoc compositum ex *θεοῖς* et *ἐχθρία* constare demonstravit, Iustius (de nominum compositione in linguis indogermanis, p. 10.) opinatus est, ς literam vocis *θεο-σεχθρία* (sic!) antiquitus servatam ex *σεχθ* radice originem ducere, ita ut propria notio sit: qui deos consequitur. Cui sententiae illud maxime repugnare videtur, quod hoc compositum neque ante Aristophanem invenitur neque apud quemquam antiquiorem poëtam ullum vestigium cernitur, quo comprobetur, *σεχθ* stirpem in lingua graeca retineri; neque vero putare licet, Aristophanem tam vetustas formas rursus conquisivisse; praeterea metrum longam syllabam altero huius nominis loco commendare videtur. Quae quum ita sint, *θεοισεχθρία* substantivum a voce composita *θεοίσεχθρος*, quae est apud Demosth. adv. Mid. §. 197, derivatum esse putare debemus; illud autem adiectivum, de quo manat, est compositum adulterinum; *θεοισεχθρία* legitur apud Demosthenem quoque (adv. Androt. §. 59).

κεκραξί-δαμας V 596, *ὁ τῷ κεκραγέναι δαμῶν*: cuius compositi prius membrum, quod est verbum, Clemmius recte vidit positum esse pro substantivo, quod ex dativi ratione originem ducit.

χαλκο-φάλαρος A 1072, *νικό-βουλος* E 615, *χιονό-βλητος* N 270, *φυλλό-κομος* Av 215, *πτερο-δόνητος* Av 1390, *φρενο-τέκτων* R 820, *γομφο-παγής* R 824, *στοματ-ουργός* R 826, *καλαμό-φθογγος* R 230, *ζηλό-τυπος* Pl 1016, *ἱστό-τονος* R 1315, *νεκταρο-σταγής* fr 563;



ἀλε-τρίβανον P 259, qui molendo (*τῷ ἀλεῖν*) frangit, i. e. pistillum.

δορυ-φόνος fr 239, *δόρατι φονεύων*; translata autem notione significat: *δολοφονῶν* i. e. ex insidiis interficiens.

εἰκελ-όνειρος Av 687, similis Somno; *εἴκελος* adiectivum Homericum habet similitudinis notionem. Clemmii (l. l. p. 91.) ratiocinatio de hoc vocabulo mihi non probatur: neque enim perspicio neque cur ille *εἴκελος* vertat: »scheinbar«, vel» gleichsam« neque, cur determinativis comp. hoc nomen attribuat; meo iudicio membra huius compositi comice immutata sunt pro: *ὀνειρ-είκελος**).

3. Alia autem dependentiae composita ita explicari solent, ut membrum alterum praepositione aliqua regente dependere ab altero dicatur. Sed ex his compositis, quae reliqui grammatici praepositione mente addita explanant, segreganda sunt mea quidem sententia ea vocabula composita, quorum alterum membrum ut locativus cogitari potest. Qui casus etsi illa aetate, qua Ar. scribebat, iamdudum e lingua evanuerat, tamen sermo Graecus, eum fuisse aliquando, sibi conscius, ut ita dicam, erat; ac meo quidem iudicio talia composita Aristophanea, qualia sunt *Μαραθωνο-μάχης*, illa, qua dixi, ratione melius et facilius explicantur, quam, si praepositionalem rationem fingimus. Sed quoniam locativum ad praepositonum aliquarum (maxime *ἐν*) notionem proxime accedere credendum est, utrumque compositorum genus in unam classem coniunximus.

Μαραθωνο-μάχης A 181, *Πυλαι-μάχος* E 1172, *Σουνι-άρατος* E 560 (cfr. Av 869: *Σουνι-έρακε*), *Ναξι-ουργής* P 143, *ἁλι-μέδων* Th 323, *ὀρεΐ-πλαγκτος* Th 326, *κραιπαλό-κωμος* R 218, *ὀρεσί-γονος* R 1344, *ᾀδο-φοίτας* fr 198, *Θρᾳκο-φοίτας* fr 198, *Θησειό-τριψ* fr 394.

μεθυσο-κότταβος A 525, qui in (*παρά* c. dat.) cottabo temulentus fit: huius vocis membra inversa videntur esse; nam

*) Cfr. explicationem nostram vocum: *Διομει-αλαζών* et *θυμ-αγροικός* in huius comment. pag. 61 et 66.



cum in similibus compositis verbum postponatur, hic locum priorem tenet.

ἀερο-νηχής N 337, qui per aëra nat: hanc vocem hic reposui, quia *νήχω* verbum omnibus locis, quibus legitur, absolute positum est, accusativum nusquam regit; ortum igitur est hoc comp. ex verbis: *διὰ* (vel *ἐν*) *ἀέρος* (-ι) *νήχων*.

μαμμά-κυθος R 990, qui in mamma matris se occultat. (hoc nomen translata notione saepius usurpatum est).

δρυ-πετής fr 190, *ἀπὸ δρυὸς πίπτων*; hoc adiectivum apud posteriores aliquos legitur; nunc recentioris aetatis editoribus mutare libuit *δρυ-πετής*, quo significari volunt: in arbore maturus factus. Sed mea sententia illud adiectivum, ubi traditur libris, ibi retinendum est: nam utramque formam in lingua fuisse cogitari potest.

4. Quarto denique eique, si exemplorum numerum reputamus, maximo generi dependentiae compositorum ea attribuuntur exempla, inter quorum membra accusativi ratio intercedit i. e. composita obiectiva; quae quomodo optime dividantur, iam explicabo. Nam etsi omnia dependentiae composita ita distribui potuisse scio, ut prius ea, quae a verbis, deinde ea, quae a nominibus incipiunt, pertractarentur, nos illa re supersedere posse putavimus, propterea quod ea exempla, quae ad genetivi rationem pertinent, omnia fere ex ratione nominali, non verbali originem ducere supra vidimus. Iam apparet, si haec pauca comp. ex genetivi ratione verbali orta rursus partiti essemus, minimi spatii classes ortas fuisse, vix dignas, quae tam accurate distinguerentur. Contra vero in eis compositis, quae ex accusativi ratione originem ducunt, aptissime illa dicrimina observari possunt. Nam haec composita, quae obiectiva nominavimus, omnia ex ratione verbali (directa) manaverunt, alia ita ut verbum priorem, alia ut secundum teneret locum*). In his igitur compositis dividendis Clemmii

*) Cfr. Clemmii dissertationem inauguralem, Gissae 1867.

auctoritatem, quantum poteramus, secuti sumus: neque erat inutile, quae ille de universis compositis in medium protulit, ea de Aristophaneis accuratius persequi, quia nonnullas res, quae memorentur, dignas de huius poëtae compositione obiectiva, quam vocavimus, invenisse nobis videmur.

a. Primum igitur consideranda sunt ea composita obiectiva, quae a nominibus incipiunt.

De formatione horum comp. non multa erunt addenda; vocalem enim compositivam, quae, si alterum membrum a vocali incipit, aut non posita est aut intercidit, (velut in verbis *ὀψ-ώνης*, *πυρ-οπίπης* aliisque), plerumque *ο* esse videbis in hac classi, semel *η* in verbo *στεφανη-πλοκέω*, semel *ι*: *καλλι-γένεια*; quam utramque vocem Ar. non ipse composuit, sed casu factum est, ut haec duo vetustae notae composita apud superiorem aliquem illo scriptorem non legerentur. Prorsus autem abest vocalis compositiva a compositis *σαμ-φόρας* et *παν-δοκεύτρια*, in quibus prioris membri forma prorsus immutata relicta est, ita ut pro adulterinis compositis, quae vocant grammatici, habenda sint: Sed haec composita post Ar. tempora saepius usurpabantur. Quae quum ita sint, concluditur, Aristophanem omnibus compositis obiectivis, quae a nominibus incipiunt, quaecumque ipse formavit, *ο* vocalem compositivam inseruisse. Omnium autem horum compositorum significationes optime ita explicantur, ut prius membrum ut verus accusativus ab altero membro dependens cogitetur.

Exempla huius classis innumerabilia fere afferre supersedeo et secundum stirpes verbales, quas altera membra exhibent, brevissimo, quantum poteram, conspectu ordinata composui sic: 9 exempla Aristophanea inveniuntur in *λογ* stirpem exeuntia (*-λόγος*, *-λογέω*, *-λογεῖον*), 31 in *πωλε* (*-πώλης*, *-πωλέω*, *-πῶλις*, *-πωλήτρια*, alia), 5 in *φαγ*, 1 in *τρωγ*, 2 in *τραγ*, 1 in *λοιχ*, 4 in *ὠνε*, 1 in *πωτ*, 17 in *φορ*, 6 in *ἐργ*, 12 in *ποι*, 5 in *κοπ*, 3 in *τροφ*, 2 in *στροφ*, 1 in *βατ*, 2 in *δρομ*, 2 in *ὀπιπ*, 1 in *κομπ*, 2 in *θηρ*, 5 in *μαν*, 3 in *διφ*, 3 in *ὠρυχ*, 3 in *δεψ*, 1 in *ταραγ*, 2 in *τηρ*,



1 in φροντιδ, 1 in δεκ, 1 in λεσχ, 1 in καμπτ, 1 in δοπα, 1 in μνημον, 1 in ἀμοιβ, 1 in πηγ, 2 in τυπ, 1 in λοχ, 2 in ῥαφ, 1 in δοκ, 1 in ἀποβλη, 2 in κομ, 2 in δωρ, 1 in θλιβ, 1 in ξοε, 1 in σκοπ, 1 in σοβ, 1 in βοσκ, 1 in ὀπτα, 1 in ῥυε, 1 in ἀγωγ, 1 in ὠφελ; 1 in χυτ, 1 in γον, 1 in γεν, 1 in πλοκ, 1 in κλοπ, 1 in χοε, 1 in ἐχ, 1 in σπορ, 1 in νομ, 1 in μηχαν, 1 in θε, 1 in πλας.

Comice ficta sunt: στωμυλιο-συλλεκτάδης R 841, et ῥακιο-συρραπτάδης R 842, qui stultitias colligit et pannos consuit: quae verba Aeschylus de Euripidis moribus et fabulis adhibet; σκοροδο-μίμητος fr 122.

Praeterea huc pertinent:

ἐτν-ήρυσις A 245, id quo hauritur (ἀρύω) puls (τὸ ἔτνος) et οἰν-ήρυσις A 1067, quo hauritur ὁ οἶνος, culinae instrumenta iam ante Aristophanis aetatem in usu fuisse putandum est.

Accusativi notio, etsi non directa et obiectiva, inest etiam in compositis νωτο-πλήξ fr 656, (cuius tergum valpulat) et ὠτο-κάταξις fr 72, quo significatur ὁ συντετριμμένος τὸ οὖς. (quod apud Platonem*) legimus: καὶ οἱ μὲν ὦτά τε κατάγνυνται μιμούμενοι αὐτούς κτλ., concludi potest Platonem circumscribere, quam composita Aristophanea audacter formata imitari maluisse).

b. Sequitur eorum compositorum obiectivorum ordo, quae a verbis incipiunt: quorum quidem non tantus numerus, quantus nominalium, invenitur. Iam vero ex illa ipsa re, quod apud Aristophanem neque tot composita a verbis incipientia, quot apud priorem aliquem scriptorem, inveniuntur, et multo pauciora sunt haec ab Ar. composita, quam ea comp. obiectiva, quorum prius membrum est nomen aliquod, — concludi videtur posse, recte ac vere dictum esse a Clemmio, qui ea, quae a verbis incipiant composita prioris aetatis esse, quam quae a nominibus initium sumant, contendit. Nam Aristophanes comicus eo tempore fabulas composuit et scripsit, cum lingua graeca antiqua iam coepisset novam quasi speciem ac formam induere, ita ut

*) Protagoras p. 342 C.

Aristophanes cuinam aetati rectius attribuatur, diversas in partes disputari possit*).

α. Ac primum quidem enumeramus composita asigmata, quae vocavit Clemmius (cfr. dissert. p. 4 e. q. s. et 152 e. q. s.). — Hunc in numerum non possumus non referre ea quae a *φιλ-* et *μις-* et similibus syllabis incipiunt; nam *φιλ-ανθρακεύς* A 336 aliter explicari non potest nisi: *ὁ φιλῶν τοὺς ἀνθρακέας* i. e. qui amat viros carbonarios. *φιλό-κυβος* V 75, *φιλ-ηλιαστής* V 88, *μισο-λάκων* V 1165, *φιλ-άμπελος*, *μισο-πόρπαξ*, *φιλ-ηδέω*, *μισό-πολις*, *φιλ-έορτος*, *φιλο-χορευτής*, *φιλ-ακόλουθος*, *φιλο-κηδής*.

Μισο-λάμαχος P 304, qui Lamachum odit; quod verbum comice pro *Μισό-μαχος* positum est, quod eos, qui audiebant, intellegere voluit poëta; (*φιλοπόλεμος γὰρ οὗτος*, inquit scholiasta). *βουλό-μαχος* P 1293.

μολυνο-πραγμονέω A 382, negotia sordida agere; fundamentum huius verbi cogitare debemus adiectivum compositum *μολυνο-πράγμων*, unde illud descendit.

διειρωνό-ξενος P 623 intellegitur is, qui hospites decipit et fallit, (*δι-ειρωνεύω* verbum, etsi non legitur in literis Graecis, tamen cogitandum est); illuditur Lacedaemoniorum fallacia.

κιν-αχύρα Ec 730, cribrum pollinis; proprie hac voce notatur »id quod furfur movet et separat«; quae vox instrumentum domesticum tum temporis usitatum significans ab Aristophane primo in scenam ducta est.

μελλο-δειπνικός Ec 1153, *μέλος* nomini appositum, significat id carmen, quod ab iis, qui coenaturi sunt, cantatur. Quod adiectivum, si ad vivum resecamus, huc non referendum esse probe scio, quia dependentia non est accusativi, sed verbalis quaedam; sed cum haec verbalis rectio verbi *μέλλω* omnium casuum accusativum proxime attingat, illud nomen huic classi ascribendum esse existimamus.

Similiter iudicamus de *μελλο-νικιᾶν* Av 640, verbo comice ficto; *παρ' ὑπόνοιαν* enim pro *μελλο-νικᾶν* vel simili verbo,

*) Cfr. ad hanc rem diiudicandam huius prooemii p. 2.

quod expectamus, *μελλονικιᾶν* ponitur, ut Nicias cunctator ille (*μέλλων*) illudatur.

Atque quum ea, quae hactenus attulimus, composita asigmata praesentis stirpem exhibeant in priore membro, unum legitur verbum:

ῥαθα-πυγίζω E 796, cuius prius membrum de *ῥάσσω* verbi stirpe pura (i. e. aoristica) deductum est; cui verbo significatio subest: alicuius podicem planta (lata manu) icere, ferire: quod verbum a Suida et Thomasio citatur.

β. Altero autem loco tractanda sunt composita obiectiva sigmatica: qui numerus et ipse apud hunc poëtam non magnus est:

ταραξι-κάρδιος A 315, animum concutiens.

ταραξ-ιππό-στρατος E 247, qui equitum exercitum turbat: quod adiectivum comice ab Ar. ita fictum est, ut altera pars et ipsa duo membra contineret; certas autem leges non sequi hunc poëtam in formandis talibus compositis, argumento mihi est, quod his locis: *ταραξι-κάρδιος*, *ταραξ-ιππόστρατος*, E 309 autem inverso membrorum ordine: *βορβορο-τάραξις* legitur.

κρουσι-δημέω E 859; cogitanda est forma *κρουσί-δημος* i. e. qui populum decipit, ex qua hoc verbum derivatur; quare non immerito Clemmius*) hoc verbum denominativis ascripsit.

κυκησί-τεφρος R 710; hoc unum compositum sigmaticum sensu passivo usurpatur, ita ut, si prorsus accurate ageremus, huc referendum non esset; notio enim ei continetur: »cinis mixtus«, cum secundum aliorum huius classis compositorum analogiam expectemus: »qui miscet cinerem«.

Praeterea huc retulimus: *Φορβεσι-στράτη*, *τρυσί-βιος*, *στρεψο-δικέω* (*στρεψό-δικος*), *λυς-ανίας*, *θραυς-άντυξ*, *τριψ-ημερέω*, *κλαυσί-μαχος*.

Atque quoniam de omnibus compositis Aristophaneis, quae certas in classes distribui possunt, iudicium nostrum protulimus, restant nobis tractanda ea, quae ille suis legibus comice

---

*) In dissertationis pag. 39.

ita finxit, ut communia quidem et certa praecepta formandi componendique vix inveneris, tamen summam artem vertendi detorquendique vocabula agnoscamus necesse sit.

Primo loco affero nomina *βροντησι-κέραυνος* N 266 et *κεραυνο-βρόντας* P 376: quibus firmam significationem subiectam esse a poëta non puto; nam quid esset: fulminibus tonans, tonitru fulgurans vel tale quid? apparet igitur ex arbitrio quodam et libidine illa verba a poëta ita usurpari, ut sensu quasi copulativo (duabus similibus notionibus coniunctis) significetur deus i. e. is qui et fulgura et tonitrua emittit; intellegendi autem sunt altero loco Iupiter, nubes altero.

Adiungo his nominibus duo alia nomina ad efficiendam sententiam comicam copulative composita, eaque ita quidem, ut utraque compositi parte duo contineantur membra:

κυμινο-πριστο-καρδαμο-γλύφος V 1357, qui cuminum conterit et lepidium diffindit, et *τορνευτο-λυρ-ασπιδο-πηγός* Av 491, qui lyras fabricatur, scuta facit: in quo chiasmum quendam a poëta adhibitum esse observavi. Accedunt alia nonnulla composita ab Aristophane comice ficta, in quibus et ipsis cumulatio quaedam »copulativa« meo quidem iudicio inest; nam poëta cum componit adiectivum *σκοτο-δασυ-πυκνό-θριξ* A 390, notare vult eum, qui est capilli et obscuri et densi et crassi: quo in composito ille paullum evagatus est, cum metro cogente *σκότιος* adiectivi formam *σκοτο-*, (quae esse debebat *σκοτιο-*), composito intulit: sed talia sibi sumsisse hunc comicum iam saepius observavimus. In *φρυαγμο-σέμνακος* V 135 adiectivo duae notiones et superbi et excelsi (sive gravis: *σεμνός* enim est is qui gravem vultum prae se fert) ad vim nominis augendam coniunguntur, ut evadat sententia vocis haec: superbe gravis. Substantivo, quod est *κρομμυ-οξυ-ρεγμία* P 529, continetur notio ructus bulborum et aceti; vox quae est *σπερμ-αγοραιο-λεκιθο-λαχανο-πώλιδες* L 457 significat eas mulieres, quae vendunt semina mundinaria et ova et oleram. Similiter, sed aliquanto etiam liberius, composuit hic poëta id vocabulum, quod versu sequenti legimus: *σκοροδο-πανδοκευτρι-αρτο-πώλιδες* L 458, i. e.

quae vendunt scorodum in cauponis et panem. Denique huc referendum est illud undenonaginta syllabarum nomen, quod Ec 1169 legitur, quo permulti cibi lautiores significantur, qui genetivi quoque vel alius casus opera et vinculo exprimi poterant. Sed, ut iocum moveret, poëta omnia vocabula eodem composito coniunxit: quod si uno spiritu pronuntiatum est, summus certe omnium qui aderant cachinnus excitatus est.

Sequuntur iam aliqua composita Aristophanea, quae duobus nominibus constant ita, ut prius nomen alterius qualitatem accuratius definiat et circumscribat atque ita quidem, ut determinationis quaedam ratio existere videatur; velut *τυφο-γέρων* nomine, si ad vivum resecamus, significatur *γέρων τυφοῦ* i. e. cuius natura et ingenium qualia sint, voce *τυφο* addita accuratius definiatur; notatur autem senex debilis, cuius mens fumo quasi involuta est, N 908.

Simili ratione E 197 *βυρς-αίετος* et E 47 *βυρσο-παφλαγών* notant eum Paphlagonem vel eam aquilam, quae tam mala et prava sit quam corium: quibus vocibus Cleo illuditur.

Πολεμο-λαμαχαϊκός A 1080 nomini fundamento subiectum esse cogitandum est substantivum *Πολεμο-λάμαχος*, quod pari ratione atque ea composita, quae supra protulimus, formatum est; adiectivo autem illo notantur ea, quae Lamachi bellicosi propria sint: Lamachi nomen per iocum ita detorquetur a poëta. —

Accedunt his nonnulla similia nomina, quibus et ipsis »determinatio« aliqua continetur:

Νεφελο-κοκκυγία Av 821, cuculorum urbs in nubibus condita, cuius incola nominatur *Νεφελο-κοκκυγιεύς; ψωμο-κόλαξ* fr 213 est is qui, ut aduletur, frusta accipit, vel, ut frusta accipiat, adulatur.

Παρ' ὑπόνοιαν adhibitum est nomen *Χολο-ζύγης* L 397, quod dictum est pro *Βου-ζύγης*, quod expectamus; quo nomine heroes quidam ab Atheniensibus appellabantur: alluditur autem ad Demostrati cuiusdam iram (*χολόν*), quem eundem ab Eupolide quoque *βουζύγην* nominatum esse scholii auctor testatur.

Βεκκε-σέληνος N 398 non facile explicatur, cum licenti quodam ac libero modo compositum sit: *βέκκος* perantiquam panis significationem fuisse ferunt; *σέληνος* autem stultitiae notionem continet, quam et ipsam in *σεληνό-βλητος* et *σεληνό-πληκτος* adiectivis inesse scholiasta testis est. Quare in *βεκκε-σέληνος* perantiqui et stultitiae notiones nescio quomodo connexas esse putandum est.

Κομψ-ευριπικῶς adverbio notio inest: bene et callide ut Euripides; *βλιττο-μάμμας* N 1001, stultus velut infans, qui matrem clamat; terminologia autem huius comp. neque nunc est clara neque antiquis erat. — *Δημο-λογο-κλέων* ntellegitur is qui apud plebem verba facit aut, qui orationibus apud plebem habitis illustris est; adiectivum autem quod est *ψαμμακοσιο-γάργαρα**) et ipsum comice compositum est: *ψαμμακόσιοι* enim exprimit innumerabilem quandum copiam: tantum granorum, quantum arena marina habet; *γάργαρα* autem et idem est arena desertorum, ita ut totum verbum significet idem ac prius membrum, quod ex Alexi comico affert Athenaeus. — In *βομβ-αύλιος* A 866 nomine rursus membrum prius *παρ' ὑπόνοιαν* commutatum est: expectamus enim hoc loco vocem *ἀσκ-αύλιος*, pro qua, ut maiorem quasi fremitum ac sonitum (*βομβέω*) notaret, poëta *βομβαύλιος* posuit.

Θυμβρ-επί-δειπνος N 421, adiectivo significatur is qui *θύμβρον* ad coenam (*ἐπὶ τῷ δείπνῳ*) habet i. e. pauperrime vivens. In *ὑφαντο-δόνητος* Av 943 autem adiectivo vix certam notionem agnoveris: neque enim quidquam aliud exprimi videtur nisi quod *ὑφαντός* (textus) nomini inest; cui adhaeret *δόνητος* affixum, quo fortasse notatur: »in rotando«; hoc ideo composuit poëta, ut illuderet poëtarum dithyrambicorum rationem immensam, ut ita dicam, et abundantem in verbis componendis. In *ἐγ-γλωττο-γάστωρ* Av 1695 nominis simplicis, quod est *γλωττο-γάστωρ*, notio comice amplificata est; notantur rhetores et causidici.

*) Hanc scripturam propter similitudinem verborum, quae sunt *διακόσια* etc., praetulerim ei, quae libris exhibetur: *ψαμμο-κοσιο-γάργαρα*.

στενο-κώκυτος L 448 adiectivum comice adhibetur de eo, qui in capillis evellendis, quia anguste et firme infixi sunt, lamentatur.

ἀλειφό-βιος, quod fr 578 legitur, vix ad certam legem et rationem revocaveris; significat autem, si Hesychium sequimur: *τὸν περὶ παλαίστραν ἀναστρεφόμενον καὶ ὑπηρετοῦντα.*

Postremo loco affero ea composita Aristophanea, in quibus summa poëtae comici licentia atque audacia formandi cernitur, in quibus non raro complures enuntiatorum partes, ut substantivum, adiectivum, verbum, adverbium vel adverbialis notio in unum compositum coniunguntur et coalescunt.

Eius generis mihi occurrerunt haec:

σφραγιδ-ονυχ-αργο-κομήτης N 332, qui digitos usque candidam partem (*ἀργο-*) unguinum (*ὀνυχ-*) annulis (*σφραγιδ-*) ornant (*κομάω*); *κρουνο-χυτρο-λήραιος* E 89, comice fictum est de homine stulto et loquace, qui verba emittit ut fons aquas; nam cum *ληρέω* significet nugari, totum vocabulum explicari potest ita ut sit: *ληρῶν ὡς κρουνοχύτρα* (i. e. urceus aquarius); inesse voluit poëta simul stultitiae notionem, quam habet is qui aquam (*κρουνός*) bibit pro vino.

Adiectivum quod est *τριβολ-εκ-τράπελος* N 1003 comparationis aliquam notionem continere mihi videtur: »qui facile verti potest (*ἐκτράπελος*) velut cuspis (*τρίβολος*): notantur autem hoc vocabulo (*στωμύλλειν τριβολεκτράπελα*) elocutiones tritae et decantatae. (Adnotat ad hoc v. scholiasta, si recte eius verba interpretor, prius huius compositi membrum de *τρίβειν* verbo descendere, quod est: »terere«; ita ut definiendum sit: qui terit ea quae facile vertuntur; cui interpretationi illud maxime obstat, quod *ολ* syllaba nullam vim habet; nam scribendum erat, si verum vidisset scholiasta: *τριβ-εκτράπελος* vel simile quidpiam).

κομποφακελορ-ρήμων R 839 Ar. Euripidem adhibentem facit ad illudendam Aeschyli verborum compositionem: »qui superbe verborum fasces format«. De eodem Aeschylo adhibetur:

κωδωνο-φαλαρό-πωλος R 963, qui titinnabula in equorum ornatu habet et *σαλπιγγο-λογχ-υπηνάδης* R 966, (fortasse:) qui

tubae et hastae (i. e. similem tubis et hastis) barbam habet; et σαρκασμο-πιτυο-κάμπτης R 966, qui ridens pinus deflectit. Compositum quod est μελανο-τεκνο-είμων R 1337 videtur notare eum, qui nigra veste, ut mortui, indutus est. Illud vero, quod N 1004 legitur: γλισχρ-αντιλογ-εξ-επίτριπτος, a scholiasta non recte explanari puto, qui dicit: ἐκ τοῦ γλίσχρου καὶ ἀντιλογίαν ἔχοντος καὶ ἐπιτρίπτου σύγκειται οἷον τοῦ δυναμένου ἐπιτρίψαι. Ego contra interpretor sic: qui valde callidus (ἐξ*)-επίτριπτος) est in sordidis (γλισχρός) litibus (ἀντιλογίαι), ita ut prius huius nominis membrum mente cogitandam sit nomen »determinative compositum«: γλισχρ-αντιλογίαι.

ἀρχαιο-μελι-σιδωνο-φρυνιχ-ήρατα V 220, ad μέλη relatum, significat carmina vetusta, qualia a Sidonibus et Phrynicho amabantur.

ὀρθο-φοιτο-συκοφαντο-δικο-ταλαίπωρος V 505, composito ad τρόπος relato significantur ii qui mane erigunt, ut sycophantarum more in litibus laborent et operam perdant.

---

*) Hanc autem praepositionem ad augendam et efferendam notionem simplicis verbi ab hoc poëta interdum adhiberi cognosces ex ea tabula, quam in pag. 48 pp. posuimus.

Argumentum huius commentationis.

